BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 P
5

REGVLA
B. AVGVSTINI,
ET
CONSTITVTIONES
CANONICORVM
CONGREGATIONIS S. GEORGII
IN ALGA VENETIARVM.

DILIGENTER RECOGNITAE,
& nuper in vnum corpus redactæ:

SVB ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO
Domino Federico Cornelio Sanctæ Rom. Eccleſiæ Presbytero Cardinali, eiuſdem Congregationis Protectore optimo, & munificentiſsimo.

14 26 B 5



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, Apud Ioannem Garam.
M. D. X C.

SIXTVS PAPA V.
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

ADmonet nos ſuſcepti regiminis, vt pro noſtra Paſtorali prouidentia, ac ſolicitudine in Religioſorum Congregationibus quibuſlibet, cõgruã Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantiam, vbi præſertim aliqua ex parte vel imminutam, vel relaxatam cognoſcimus, aliquando per veterum Conſtitutionum innouationem, ſeu abrogationem, aliquando verò per nouorũ ſtatutorum, quæ magis expedire dignoſcuntur, editionem, eorumque confirmationes, in priſtinum reſtituamus, ac ſalubriter conſeruemus ea, quæ pro perſonarum in huiuſmodi religioſis locis degentium conſcientiæ ſecuritate, tranquillitate, & felici regimine facta eſſe comperiuntur, vt firma, & illibata perſiſtãt, noſtræ approbationis munimine roboremus. Expoſuit ſiquidem aliàs nobis dilectus filius noſter Federicus tituli Sancti Stephani in Monte Cælio Presbyter Cardinalis Cornelius nuncupatus, leges, Conſtitutiones, & ſtatuta Congregationis Canonicorum ſæcularium Sancti Georgii in Alga Venetiarum, cuius

ipſe apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protector auctoritate Apoſtolica deputatus exiſtit, pro bono regimine, & gubernio, ac ſpirituali directione Monaſteriorum ipſius Congregationis, ac perſonarum in illis degentium non modica reformatione indigere, ſæpiuſque negotium reformationis huiuſmodi tam in generalibus Capitulis, quam aliàs à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus eiuſdem Congregationis Protectoribus, qui pro tempore fuerunt, inchoatum, nunquam tamen ad debitum finem perductum fuiſſe. Ideoque tandem ipſum Federicum Cardinalem ſtatim initio ſuſcepti muneris protectionis huiuſmodi adſcitis, & conuocatis in Monaſterio Sancti Georgii huiuſmodi Patribus Diffinitoribus, aliiſque Superioribus eiuſdem Congregationis, hoc ipſum Priori generali, ac aliis quatuor ex dictis Patribus demandaſſe. Quare cum idem Prior generalis vnà cum aliis quatuor Deputatis in vnum conuenientes cum magno ſtudio, & vigilantia, omnibus tam antiquis, quam modernis, ac recentioribus ſtatutis, & Conſtitutionibus ipſius Congregationis diligenter examinatis, & diſcuſsis, necnon rerum, locorum, & temporum circumſtantiis planè perpenſis, partim Conſtitutiones, & ſtatuta antiqua abrogando, partim innouando, ac partim etiam, vbi expediens fuit, de nouo condendo, ea, vt par erat, reformaſſent, ipſeque

ſeque

ſeque Federicus Cardinalis, ac alii prædicti pro Conſtitutionum, ac legum, & ſtatutorum reformatorum huiuſmodi confirmatione nobis humiliter ſupplicaſſent, onus examinandi, & diſcutiendi librum præfatarum Conſtitutionum, legum, ac ſtatutorum tunc exiſtentibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Congregationi ſuper ſacris Cæremoniis, & ritibus deputatis demandauimus, qui, præuiò diligente examine illum recognouerunt, & emendarunt. Cupientes igitur Monaſteriorum prædictorum bonum regimen, & directionem tueri, & vt quam diutiſſimè retineantur, diligentiſsimè curare, necnon Conſtitutionum legum, ac ſtatutorum prædictorum tenores præſentibus pro expreſsis habentes, eiuſdemq; Federici Cardinalis auctoritate moti, ac aliàs Prioris generalis, & Diffinitorum, aliorumque prædictorum ſupplicationibus inclinati, Conſtitutiones, leges, & ſtatuta de nouo condita, ac per ipſos Cardinales ſuper Cæremoniis, & ritibus huiuſmodi Deputatos, vt præfertur, correcta, & emendata, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, eiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus: omneſque & ſingulos tam iuris, quam facti defectus, ſi qui deſuper interuenerint, eadem auctoritate ſupplemus. Decernentes illa per Canonicos dictæ Congregationis ſub pœnis in eiſdem

dem

dem iam reformatis Conſtitutionibus, & ſtatutis expreſsis ſine tamen alterius reatus, ſeu peccati, vel pœnæ quã inibi expreſſæ incurſu, ſimiliter perpetuo, & inuiolabiliter obſeruari debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon antiquis dictæ Congregationis etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die xxiiii. Aprilis M D X C. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

M. Veſtrius Barbianus.

Antonius Ruloffius.



PRAEFATIO IN CONSTITVTIONES CANONICORVM CONGREGATIONIS Sancti Georgii in Alga Venetiarum.

SI firmum, & ſtabile illud propoſitum, quo religionum conditores mouentur, cum prima ſuorum inſtitutorum fundamenta iaciunt, in animis ſequentium religioſorum permaneret, perpaucis eiſdemque minimè grauibus legibus in congregationibus opus foret: quinimo quibuſdam humilibus, & ſimplicibus traditionibus à primis fundatoribus acceptis floreret vbique Religionis pietas. Hoc maximè in noſtra Cõgregatione inſpici poteſt, in qua ſumma perfectio ſola innixa euangelica charitate, ſuis in primordiis vigebat. Cum ſcilicet primi illi nobiliſsimi, & ſanctiſsimi auctores, Gabriel Cõdelmerius, Antonius Corarius, Ludouicus Barbus, & alii religioſiſsimi Viri, tanquã cœleſti igne accenſæ faces, abiectis ſęcularibus pompis, voluptatibus omnibus reciſis, ac terrenis facultatibus derelictis, vitam omnino Apoſtolicam in patria prope Venetias degebant: qui anno ſalutis MCCCCIIII. à Bonifacio Papa IX. Canonica-

tus honore inſigniti, Congregationis ſuæ, & inſtitutionis comprobatione ab eodem obtenta, quandam paruulam diſciplinæ,perfectioniſque ſeruandæ, formulam,quam non regulam, ſed memoriale dixerunt, ſequebantur: ſub quo abſque proprio,in Dei timore, & voluntaria obedientia, incredibili profectu virtutis reſplendebant. Illam autem maximam pietatem ſeruorum ſuorum Deus non intra ſepta clauſtri tantùm conſiſtere, ſed in aperto etiam ab hominibus videri voluit: Cum Bonifacio ex hac vita egreſſo,Gregorius XII. Pont.Max.ſuffectus Gabrielem ſororis, Antonium fratris filios ad ſe accitos, pluribus dignitatibus ornatos, Cardinalatus honore inſigniuit, Ludouico verò Barbo reformationem conuentus, & religionis ſanctę Iuſtinæ de Padua,demandauit: Vt primi duo tanquam columnæ in templo Dei eſſent, ac baſes ſanctæ Eccleſiæ illis temporibus à multis oppugnatę: Alius verò eſſet ſecundus Pater poſt ſanctum Benedictum illius antiquæ, & à ſe inſtauratę religionis. Qui etiam poſt reformationẽ prælibatam ad Epiſcopatum Taruiſinæ Eccleſię vocatus eſt. Et quamuis hi tres viri ad altiorem ſtatum dignitatum euecti fuerint,nunquam tamen,vel in victu, vel in reliquis religionis diſciplinę obliti ſunt. Quinimò ipſe Gabriel ad ſummum Pontificatum poſt Martinum V. ſub Eugenii IIII. nomine ſublimatus inuiolabile viuendi

inſtitu-

inſtitutum, quod in monaſterio didicerat, enixè ſerua uit. Quid dicemus de B. Laurẽtio Iuſtiniano è præfato collegio ad regimen Eccleſiæ Caſtellanenſis vocato, cui inſigne Patriarchatus primùm clariſsimæ Venetiarum ciuitatis delatum eſt? Is fuit tantæ Religionis, doctrinæ, & ſanctitatis, vt ex odore ſanctiſsimi Viri, Veneto Senatui mos fuerit per multos annos ex eodem ſodalitio Pontifices ſibi deligere. Adeo verò in ipſa congregatione æmulabantur omnes chariſma ta meliora, vt non ſolum ſibi frugiferi in via Dei, ſed aliis religionibus Monaſticæ ſanctitatis forma fuerint, & ciuitatibus nihil eſſet optatius, quàm vt eiuſmodi ſeruos Dei ad ſe aſciſcerent, Monaſteriaq; ſpõtè illis offerrent, quamquam ipſi ex humilitate multa loca recuſarunt. Latinus Vrſinus ampliſsimus Cardinalis ſanctitate virorũ motus, ad conſtructam ſancti Saluatoris in Lauro Eccleſiam, Monaſteriumq; Romæ redditibus dotatum, vix obtinuit, vt accederẽt. In quo ipſe etiam ſemotus à negotiis ſæpè in paruula cel lula ſibi conſtructa cum ſanctiſsimis viris, ſtudio pietatis vacabat. Verum cum temporum curriculo res labefactentur, ita paulatim feruor ille priſtinus in dies deferbuit in congregatione, vt patres id animaduertẽtes pluribus, & diuerſis legibus, primam illam diſciplinam ſuſtinere conati fuerint. Et cum libertas depo nendi habitum religioſum, & egrediendi vt lubet è ſo

dalitio (quod tamen rariſsimè, aut nunquam in initio contingebat) in poſterum facta eſſet occaſio prçuaricationum (multi enim quando coercebantur ob aliquod perpetratum ſcelus, aut ex ſeſe pertæſi vitæ ſuſceptæ reſpicientes retro ad ſæculi voluptates, paſsim è monaſteriis cum maximo plurimorũ ſcandalo egrediebantur) Beatiſsimus Pius V. Pont. Max. reformationes Concilii Tridentini perficiens anno Domini MDLXVIII. Conſtitutionem vniuerſalẽ emiſit; qua non tam noſtrã Congregationẽ, quã omnes alias habitus ſegregatos à presbyteris ſæcularibus habẽtes, voluit profeſsionẽ regularem emittere, atq; aboleuit omnes Cõgregationes viuentes ſub volũtaria obediẽtia: Quare paulopoſt in Comitiis Cõgregationis noſtrę generalibus Romæ habitis, Patres Capituli delecta Regula B. Patris Auguſtini ſub ea regularem profeſsionẽ emiſerunt, quã deinde Regulam in ſingulis conuẽtibus omnes ſimiliter profeſsi ſunt. Poſtea verò vt Fratrum quieti, animarumq; trãquillitati prouideretur, ſpeciali priuilegio impetratũeſt à ſede Apoſtolica, vt Regula, & Conſtitutiones noſtræ nõ obligent ad culpam, ſed ad pœnã, niſi propter præceptũ, vel cõtemptũ. Si quis enim ex contemptu, vel certa malitia contrairet, aut ordinationes contemneret, ſatis clarũ eſt non ſolũ pœna dignũ eſſe, ſed etiã culpæ nõ paruæ ſubiectũ. Præceptũ verò in Regula nullum contineri

ſuppo-

ſupponitur,niſi ratione diuinę,aut Eccleſiaſticę legis, vel ratione triū votorum. Idemq; de Cōſtitutionibus intelligitur, excepto, vbi ponitur ſentētia excōmunicationis,vel ſuſpēſionis, aut præceptū exprimitur per iſta verba vel alia æquiualentia,præcipimus,iubemus, in virtute ſanctæ obediētiæ:quod idē ſimiliter in ordinationibus,& litteris, vel verbis ſuperiorum intelligi declaratur.Cum itaq; dāno,quod ex mutatione ſtatus, aut ex aliis accidētibus in noſtra Cōgregatione oriri poterat,multis modis Dei ſummi benignitate prouiſum ſit, eidē nunc volens opportunè manū porrigere Illuſtriſs.& Rerendiſs.D. Federicus Cornelius nobilis Patricius Venetus ampliſsimus Cardinalis,& Epiſcopus Patauinus à Sanctiſs.D.D.Sixto V.Pōt. Max. Protector datus,illico ſuſcepto patrocinio,cognitiſq; Cōgregationis noſtræ neceſsitatibus, inter alia reformationē Conſtitutionū mādauit,& quę ad reparationē,& conſeruationē regularis vitę idonea viderentur ſuppleri iuſsit:cui rei Patres omni ſtudio operā dātes librū hunc Conſtitutionum ordinauerunt. Vt autē ex diſpoſitione ordinis aliquod lumen conſequeretur, opus in quinq; Diſtinctiones cōcinnatum eſt totum.

In prima poſt Regulam B. Patris, Auguſtini poſita ſunt ea inſtituta,quæ ad ſacra, diuinumque officium, aut aliquam talem functionem ſpectant.

In ſecūda ſubiūgūtur Cōſtitutiones de habitu,de No

tiis,& nonnulla alia, quæ obtinere proximum locum opportunæ viſæ ſunt.

In tertia dignitates, & officia cum eorum onere tractantur.

In quarta pœnæ in diuerſis Capitulis generalibus tranſgreſsionibus decretæ continentur.

In quinta,& poſtrema quãdo, & quomodo Dięta, vel Capitulum generale celebrandum, quidq; in eis agendum ſit. Verum aliquę pęnæ etiam aliis in Diſtinctionibus diſperſæ ſunt, quas omnes in eundem locũ quartæ Diſtinctionis reducere difficile admodum fuiſſet.

Poſtquam igitur Deo Optimo, Maximoque fauente, negocium ad optatum finem ductum eſt, cohortamur omnes noſtræ huiuſce ſocietatis Fratres, vt quiſque ſuo officio fungens in obſeruatione legum ita ſe gerat, vt ex eorum vſu, & cuſtodia, gloria ſit altiſsimo Deo,& cuiq; bene operanti æterna remuneratio.

BEATI PATRIS AVRELII AVGVSTINI REGVLA.

Agitur de charitate Dei,& proximi.

ANTE omnia Fratres chariſsimi diligatur Deus, deinde proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt quæ vt obſeruetis præcipimus in Monaſterio conſtituti.

De vnitate cordium: quomodo debeant vnanimes habitare in domo. Caput I.

PRimum propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna,& cor vnum in Deo.

Omnia debent eſſe communia. Cap. II.

ET non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius vnicuique ſicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apoſtolorum; Quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique ſicut cuique opus erat.

Qui

Qui in ſeculo habebant aliquid illud velint eſſe commune. Cap. III.

QVi aliquid habebant in ſæculo quando ingreſsi ſunt Monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt.

Nobiles, & ignobiles humiles debent eſſe. Cap. IIII.

SEd tamen eorum infirmitati, quod opus eſt tribuatur, & ſi paupertas eorum, quando foris erat nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Tamen non ideo ſe reputent eſſe felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris inuenire non poterant, nec erigant ceruicem quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebāt, ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant, ne incipiant eſſe monaſteria diuitibus vtilia non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

Caput V.

RVrſus etiam illi qui aliquid eſſe videbantur in ſæculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate glo-

gloriari. Nec extollantur ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt, nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, quia eas in monaſterio partiuntur, quam ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et quid prodeſt diſpergere dando pauperibus, & pauperem fieri: cum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnẽdo, quam fuerat poſſidendo?

Caput VI.

OMnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti eſtis.

De horis,& temporibus orationis. Cap. VII.

Orationibus inſtate horis, & temporibus conſtitutis.

Caput VIII.

IN oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde, & nomen accepit, vt ſi fortè aliqui etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint.

De modo orandi, de attentione habenda. Cap. IX.

PSalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.

De modo pſallendi, quæ cantanda, & quæ non. Caput X.

ET nolite cantare niſi quod legitis eſſe cantandum; Quod autem non ita ſcriptum eſt vt cantetur, non cantetur.

De ieiunio. Caput XI.

CArnem veſtram domate ieiuniis, & abſtinentia eſcæ, quantum valetudo permittit.

Nihil extra horam prandii ſumendum. Caput XII.

QVando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat.

De refectione animæ, & corporis. Cap. XIII.

CVm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite, ne ſola vobis fauces ſumāt cibum, ſed & aures eſuriāt Dei verbū.

De

De differentia ciborum circa infirmos. Caput XIIII.

QVi infirmi ſunt, ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtũ eſſe, nec iniuſtum videri, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia ſumunt, quod non ſumunt ipſi: ſed ſibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Caput XV.

ET ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorũ datur, quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de ſua ſæculari vita illi ad iſtam deſcenderint, quamuis vſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatẽ peruenire nequiuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, ſed quia tolerantur, accipere; ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in monaſterio, vbi quantum poſſunt fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati.

Quomodo infirmi, & conualeſcentes tractandi. Cap. XVI.

SAnè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere ne grauentur, ita poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, vt citius recreentur, etiam ſi de humillima ſæculi paupertate venerunt, tamquàm hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo.

Caput XVII.

SEd cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quãto minus indigent, ne cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos. Illos exiſtimet ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Melius eſt enim minus egere, quam plus habere.

De habitu exteriori. Caput XVIII.

NOn ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.

De modo ambulandi, & ſtandi. Cap. XIX.

QVando proceditis, ſimul ambulate, cum veneritis quo itis, ſimul ſtate.

Caput XX.

IN inceſſu, ſtatu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum; ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

Caput XXI.

OCuli veſtri & ſi iaciuntur in aliquam fœminarum, nō figantur in illa, neq; enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu quoque, & aſpectu appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius, & cum ſe inuicem ſibimet etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundum concupiſcentiā carnis alterutro delectātur amore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœmina figit oculos, & illius in ſe diligit fixum, ab aliis ſe non videri, cum hoc fecerit. Videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideo putandus eſt non videre, quia tanto videt patientius, quanto ſapientius? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœmi-

næ malè placere. Illum cogitet omnia videre, nec velit fœminam malè videre. Illius nanq;, & in hac cauſa cõmendatus eſt timor, vbi ſcriptum eſt. Abominatio eſt Domino defigens oculum.

Caput XXII.

QVando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, & vbicunq; vbi fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiã iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

De correctione fraterna, & denunciatione, & quomodo Prælati debeant corrigere. Cap. XXIII.

ET ſi hanc de qua loquor, oculi petulantiã in aliquo veſtrũ aduerteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediãtur, ſed de proximo corrigantur. Si autẽ & poſt admonitionem iterũ, vel alio quocumq; die idipſum eum facere videritis, iam velut vulneratũ ſanandum procedat, quicumq; hoc potuerit inuenire. Prius tamen, & alteri, vel tertio demonſtrandum, vt duorũ, vel trium poſſit ore cõuinci, & competenti ſeueritate coerceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quãdo hoc indicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cum timet ſecari, nonne crudeliter

abs

abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde? ſed antequam aliis demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit: prius Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi, ne fortè poſſit, ſecretius correctus nō innoteſcere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi ſunt alii, vt iam coram omnibus poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus verò ſecundum Præpoſiti, vel etiam presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium debet emendatoriā ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proiiciatur. Non enim ei hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat.

Caput XXIIII.

ET hoc, quod dixi de oculo non figendo, & in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandiſq; peccatis diligenter, & fideliter obſeruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorū.

Caput XXV.

QVicumque autem in tantum progreſſus fuerit malū, vt occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, ſi hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo: ſi autem deprahenditur atque conuincitur,

citur, ſecundum arbitrium presbyteri, vel Præpoſiti grauius emendetur.

De cuſtodia rerum communium. Cap. XXVI.

VEſtes veſtras in vnum habeatis ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea lædantur, & ſicut paſcimini ex vno Cellario, ſic induamini ex vno Veſtiario. Et ſi fieri poteſt non ad uos pertineat, quod uobis indumentum pro temporis congruentia, proferatur, utrum recipiat hoc unuſquiſq; quod depoſuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen unicuiq; prout opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter uos contentiones, & murmurà oriuntur, cum queritur aliquis deterius ſe accepiſſe, quã prius habuerat, & indignum ſe eſſe, quod nõ ita ueſtiatur, ſicut alius frater eius ueſtitur: Hinc uos probate quãtum uobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis tamen: ſi ueſtra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod poſueritis, in uno tamen loco, ſub communibus cuſtodibus habete quod ponitis.

Caput XXVII.

ITa ſanè, ut nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera ueſtra in unum fiant maiori ſtudio, & frequentiori alacritate, quam ſi uobis ſingulis feceritis propria. Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quod

non

non quærit, quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit, & ideo quanto amplius rem communem, quam propria veſtra curaueritis, tanto vos amplius proficere noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur tranſitura neceſsitas, ſupereminent quæ permanet charitas.

Caput XXVIII.

COnſequens ergo eſt, vt etiam qui ſuis filiis, aut aliqua neceſsitudine ad ſe pertinentibus in monaſterio conſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, non occultè accipiatur, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, ut in rē communem redactum, cui neceſſarium fuerit, præbeatur.

Caput XXIX.

QVod ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

De munditia veſtium. Caput XXX.

INdumenta ueſtra ſecundum arbitrium Præpoſiti lauentur ſiue à uobis, ſiue à fullonibus, ne interiores animæ ſordes cōtrahat mundæ ueſtis nimius appetitus.

De munditia corporum, & aliis agendis circa infirmos. Cap. XXXI.

LAuacrum etiam corpori, cum infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur, fiat ſine murmure de conſilio medicinæ, ita ut etiam ſi nolit, iubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem uelit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquãdo enim etiam ſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat. Denique ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur. Sed tamen, utrum ſanando illi dolori, quod delectat, expediat, ſi non eſt certum, medicus conſulatur.

Caput XXXII.

NEc eant ad balnea, ſiue quocumque ire neceſſe fuerit, minus, quàm duo, uel tres: & ille, qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus iuſſerit, ire debebit.

Caput XXXIII.

AEgrotantium cura, ſiue poſt ægritudinem reficiẽdorum, ſiue aliqua imbecillitate, ſiue etiam febribus laborantium uni alicui debet iniungi, ut ipſe de Cellario petat, quod cuique opus eſſe proſpexerit.

Caput

Caput XXXIIII.

Siue autem qui Cellario, ſiue qui ueſtibus, ſiue qui codicibus præponuntur, ſine murmure ſeruiant Fratribus ſuis.

De diebus, & temporibus ſtudendi. Caput XXXV.

Codices certa hora ſingulis diebus petantur, extra horam, qui petierit, non accipiet.

Caput XXXVI.

Veſtimenta uerò & calceamenta, quando indigentibus fuerint neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur.

Lites inter Fratres non debent eſſe. Caput XXXVII.

Lites autem nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.

De venia poſtulanda, & offenſa remittenda, & quomodo, & quando. Cap. XXXVIII.

QVicumq; conuiciò, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſerit, meminerit ſatiſfactione quam citius curare, quod fecit, & ille, qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare debebunt propter orationes veſtras; quas vtique quanto crebriores habetis, tanto ſaniores habere debetis. Melior eſt autem, qui quamuis ſæpe tentetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quã qui tardius iraſcitur, & ad veniã petendam tardius inclinatur. Qui autẽ nunquàm vult petere veniã, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiamſi inde non proiiciatur.

Caput XXXIX.

PRoinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera.

Caput XL.

QVando autem neceſsitas diſciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura cõpellit, ſi etiam ipſi vos modum exceſsiſſe ſentitis, non à vobis exigitur, vt à veſtris ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos, quos oportet eſſe

eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. ſed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino: qui nouit etiam eos, quos plus iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligitis. Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

De obedientia. Caput XLI.

PRæpoſito tamquam Patri obediatur, multo magis presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.

Caput XLII.

VT ergo cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, ſed vt emendandum corrigẽdumq; curetur, ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad presbyterum, cuius eſt apud vos maior authoritas, referat, quod modum, vel vires eius excedit.

Quomodo Prælati in charitate, & prudentia regere debeant. Caput XLIII.

IPſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiẽte fœlicem. Honore coram vobis Prælatus ſit vobis, timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos,

quietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat, & quamuis vtrumque ſit neceſſarium, tamen plus à vobis amari appetat, quam timeri, ſemper cogitans, Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem. Vnde vos magis obediendo non ſolum veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter vos, quanto in loco ſuperiore, tanto in periculo maiore verſatur.

Optima exhortatio, & deprecatio erga fratres. Caput XLIIII.

DOnet Dominus, ut obſeruetis hæc omnia, tanquã ſpiritalis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti.

De meditatione agenda ſuper regulam, & de gratiarum actione. Caput XLV.

VT autem vos in hoc libello tamquã in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per obliuionẽ aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur, & ubi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino bonorũ omniũ largitori. Vbi autẽ ſibi quicumq; veſtrũ videt aliquid deeſſe, doleat de p̃terito, caueat de futuro, orans vt debitũ dimittatur, & in tentationẽ nõ inducatur. Amẽ.

Explicit Regula Beati Patris Auguſtini.

CONSTITVTIONVM CANONICORVM CONGREGAtionis S. Georgii in Alga Venetiarum.

DISTINCTIO PRIMA.

De diuino cultu. Caput I.

ANTE omnia debitus cultus latriæ Deo ſtudioſe perſoluatur, & ea, quæ ad venerationẽ diuinæ Maieſtatis ſpectant, præ oculis ſemper habeãtur à nobis in recitandis diuinis officiis, tam nocturnis, quam diurnis, & in celebratione Miſſarum illud inuiolabiliter ab omnibus noſtræ ſodalitatis fratribus obſeruetur, quod à ſummis Pontificibus iuxta formam Breuiarii, & Miſſalis Romani reſtituti ſancitum eſt, vel pro tempore ſancitum fuerit. Omnia verò diuina officia ita diſtinctè, ſtudioſè, & intelligibili voce recitentur, vt in nocte ædificent conſcientias noſtras, de die etiam animos audientium ad affectum pietatis commoueant.

In Miſsis ſolennibus, & aliis diuinis officiis, vbi adhibetur Cantus, aut Gregorianus, aut Muſicus, pro virili, & iuxta conſuetudinem ſit conditus congrua grauitate, & decentia, atque ab eo laſciua quædã, quæ ſcandalum, aut leuitatem parere poſſunt, omnino arceantur.

Ad celebrationem diuinorum officiorum in Choro uni

uerſi tam Sacerdotes, quàm Clerici conuenire tenentur, exceptis emeritis (emeriti autem vocantur illi, qui per quinquaginta annos in congregatione perſeuerarunt, qui etiam excuſantur ab obſeruantiis communibus) vt infra diſtinctione tertia capite decimoſeptimo . Diſpenſantur etiam ſeniores, valetudinarii, ad negotia Conuentus deſtinati, aut alia neceſſaria occupatione detenti, qui omnes cauſa cognita admiſſaque à ſuperiore facti fuerint immunes .

Quando accedunt Fratres in Templum, vel in Chorũ, aut inde diſcedunt, aut per Eccleſiam tranſeunt, genuflectentes, capite detecto, ſemper adorent ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentũ: ſigno verò ſanctæ Crucis, reliquiis, & imaginibus Sanctorum ſe inclinando debitum deferant honorem .

Quando Pater noſter: Aue Maria, Credo, Capitula, Reſpõſoria breuia, Orationes, Antiphonæ Beatæ Virginis in fine officii dicuntur, omnes ſint nudo capite, & quando nominatur nomen Ieſus, ſeu Mariæ, & dicitur; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, omnes ſimul, & vniformiter inclinent caput, & ſimiliter faciant, quando ſiunt benedictiones Primæ, & Completorii.

A die feſto omnium Sanctorum, vſq; ad octauam Reſurrectionis, ad celebrationem diuinorũ officiorum in Choro, & omni tempore ad canendas Epiſtolas, & deſeruiendum Miſsis ſuper habitũ cæruleũ ſuperpelliceis vtantur.

Con-

Confeſsiones in Choro omnes ſubmiſſa voce recitent præter hebdomadarium, & Antiphonarium, qui voce ſonora, & intelligibili recitare tenentur.

Qui tam negligentes exiſtunt, vt in chorum non accedant ante inchoationem primi Pſalmi, genibus flexis in medio chori conſiſtant, neque ſurgant niſi facto ſigno a Rectore, quo facto accedant ad locum ſuum: ſed qui omnino ad Matutinum, aut Primam non acceſſerint, quoties contrauenerint, dicãt ſuam culpam in refectorio, niſi aliqua rationabili cauſa excuſentur à ſuperiore.

Qui aliis horis Canonicis non interfuerint, coram Priore ſuam profiteantur culpam.

Qui errant, vel alios in officio errare faciunt, vel ſcandalum in Choro committunt, coram Maiore dicãt ſuam culpam. At ſi paruus error committitur, humiliter a committente manu tangatur terra. quod facere ipſe etiam ſuperior tenetur.

Obſeruentur deniq; omnia ſtudioſe, quæ vel à Patribus, vel traditionibus vſu recepta ſunt. Ita tamẽ, vt omnia ſint cõformia rubricis Miſſalis, & Breuiarii Romani.

Quo ordine diuinum officium ſit celebrandum. Caput II.

QVando ſe audiunt vocari Fratres noſtri ad diuinũ officium, erigant ſe, & omiſsis omnibus accedant ad Chorum, præparentq; animum ad Deum, & quando

videbuntur adeſſe,facto ſigno,vt ceſſetur pulſari per Recto rem,aut per alium (ipſo abſente) eius vices agentem,dicto Pater noſter, Aue Maria,& Credo ſi dicendum ſit, Hebdomadarius incipiat officium, & cum dicitur Matutinũ Antiphonarius ad quem ſpectat recitare Antiphonas,accedat ad dicendum Inuitatorium in medio Chori ante lectorile: qui etiam præter omnes Antiphonas legere debet lectiones primi Nocturni, & Reſponſoria tertii Nocturni, & Martyrologium ante Precioſa,Abſolutionem Capituli,& omnia Reſponſoria breuia,& decantare Epiſtolam in Choro,cum celebratur Miſſa Conuentualis ſine Diacono,& Subdiacono paratis.

Reſponſoria primi Nocturni dicat Hebdomadarius, & alius ex eadem parte Chori legat ſecundi Nocturni lectiones,ille ſcilicet,qui proxima hebdomada fuit Antiphonarius. Eiuſdem verò ſecundi Nocturni Reſponſoria recitet ille, qui perſoluit Antiphonas in hebdomada tertia præterita. Hebdomadarius quoque dicat lectiones tertii Nocturnii. Hebdomadarii autem ſunt Sacerdotes, Antiphonarii verò ſunt reliqui Canonici, & Fratres infra ſacerdotium, in ordinibus debitis ex vtroque Choro gradatim conſtituti, quibus deficientibus ſuccedunt alii ſequentes ex ordine. Benedictiones Matutini, & benedictionem ante abſolutionem Capituli in Prima, & benedictionẽ in principio Cõpletorii abſq; ſigno Crucis pficiat Rector, ſed in fine Primæ ad illa verba Dominus nos benedicat, & in

fine

fine Completorii ad illa. Benedicat, & cuſtodiat, &c. cum ſigno Crucis benedicat. Præſenti verò alicui venerabili Prælato etiam extraneo, ſi videbitur, deferatur hic honor benedicendi.

Abſente Priore, benedictiones perficiat primus in ordine. Diebus Dominicis benedicta aqua ab Hebdomadario ante inchoationem maioris Miſſæ fiat aſperſio per Eccleſiam, vt in Miſſali: & ſingulis diebus poſt Completoriũ dicto Pater noſter, Aue Maria, & Credo, fiat in Choro, vt moris eſt.

Completa Prima, celebretur vna Miſſa priuata, quæ non inchoetur priuſquam chorus in totũ ceſſet. Dicta Tertia, aut Sexta pro diei qualitate, Hebdomadarius Miſſam cantet conuentualem, aut ſi non occurrat Miſſa cantanda, ſaltem priuatim celebret.

Nona à ſancto die Paſchatis vſque ad exaltationem ſanctæ Crucis dicatur poſt meridianam pulſationem hora congrua, & à feſto ſanctæ Crucis dicatur ante prandium vſque ad feſtum Reſurrectionis Domini.

In Quadrageſima autem poſt Primam, & Tertiam celebretur vna Miſſa priuata, & poſt Sextam, & Nonã altera cantetur ab Hebdomadario, qua abſoluta, hora idonea celebrentur Veſperæ.

Completorium dicatur ante cœnam ſemper, niſi Rectori aliter faciendum ex aliqua occaſione, rarò tamen contingenti, viſum fuerit.

Feſtum Beati Laurentii Iuſtiniani Protopatriarchæ Venetiarum, die octaua Ianuarii, in Dominio Veneto tantum, iuxta formam noſtrorum priuilegiorum celebretur.

In maiori Hebdomada, Matutinum feriæ quintæ Paraſceues, & ſabbathi ſancti, dicatur hora competenti, ita vt ante tenebras noctis completum ſit, & accendãtur candelæ, ac reliqua fiant, vt in rubricis Breuiarii ſtatutũ eſt. Rectores, qui hæc obſeruare neglexerint, per Viſitatores iuxta qualitatem delicti puniantur.

De Oratione mentali. Caput III.

A *Paſcha vſq; ad feſtũ exaltationis ſanctæ Crucis, per mediam horam poſt Veſpertinas preces in oratione omnes perſeuerent, & ab eodem feſto ſanctæ Crucis vſq; ad Reſurrectionem, præter tempus dictum, per aliam mediam horam poſt Matutinum orẽt omnes. Quando ieiunatur orationis tempus non poſt Veſperas, ſed poſt Completorium erit. Nemo ab illa excuſetur, nemo item ab illa diſcedat, niſi facto ſigno ab eo, qui cuſtodit Horologium, vel à Rectore. Qui aliqua ineuitabili occaſione cogitur, poſtulata venia à Maiore, & obtenta, diſcedat.*

Qui aliquo impedimento detentus, orationem prætermiſit, notificet impedimentum Prælato, & ſuppleat priuatim alio tempore orationem.

Rectores autem ſæpe ſuos ſubditos pia exhortatione ad

ora-

orationem excitent, & quos cognouerint torpētes, arguāt. Nihil enim in omni ſpiritali exercitatione, vel Chriſtiana militia, ſic mentis habitum, virtutis zelum, cordis oculū, perfectionis deſiderium redintegrat, & cuſtodit, quemadmodum orationis ſtudium. Ex hac noſtræ ſalutis ſecuritas potiſſimum pendet.

Quomodo diuinum officium, Miſſa, Litaniæ ſint cantanda. Caput IIII.

TAm in diebus feſtis, quam profeſtis hymnus ad Matutinum poſt Pſalmū, Venite exultemus, Cantica, Benedictus, & Magnificat, Antiphonæ Beatæ Mariæ Virginis in fine Completorii cantentur.

In Vigiliis duplicium primæ claſſis, Veſpertinæ, & Completorii horæ cantentur totæ.

In Vigiliis autem feſtorum ſecundæ claſſis, totæ ne an pars illarum cātandæ ſint, Maioris arbitrio ſtetur. Sed in primis Veſperis omnium duplicium, & ſemiduplicīū cantetur ſaltem a Capitulo vſque ad finem.

In duplicibus primæ claſſis ad Matutinū præter hymnum, cantetur etiam tertius Nocturnus, ſcilicet Pſalmi cum Antiphonis, & Lectionibus, necnon hymnus Te Deū laudamus, qui non tam in feſtis primæ claſſis, quam etiā in aliis diebus, cantari poterit arbitrio Rectoris.

In die Natalis Domini, & Epiphaniæ, cantētur etiam Pſalmi, & Lectiones primi Nocturni, ſed in tribus Matutinis

tutinis maioris Hebdomadæ, Pſalmi primi, & tertii Nocturni cum Lectionibus omnium trium Nocturnorũ, & Cantico Benedictus, & Pſalmo Miſerere, qui in fine dicitur, cantentur.

Hora Tertia, & Veſpertina, & Completorium in feſtis tam primæ, quam ſecundæ claſsis, cantu celebrentur. Diebus Dominicis ſaltem Veſpertinæ horæ cãtentur. Miſſa pro ratione dierum, & prout opportunitas locorum admonuerit, cum omni ſolennitate concinnẽtur. Sabbatho nõ impedito feſto duplici, vel ſemiduplici, vel aliter, iuxta rubricam Miſſalis cantetur Miſſa de Beata Virgine.

In diebus Rogationũ, quæ ſunt ſecunda, tertia, & quarta Feria ante Aſcenſionem Domini, extra Eccleſias procedendo, & reuertendo bini, & bini accedant fratres noſtri ad ſupplicationes, Litanias cum precibus, & orationibus cantantes, ſed vbi conſuetudo non eſt exeundi, genibus flexis Litanias celebrent in choro, & ibidem deinceps quotidie poſt Primam eaſdem dicant, vſque ad exaltationem ſanctæ Crucis.

In ſupplicationibus omnibus, quæ celebrantur publicè per ciuitates, fratres noſtri accedant induti ſuperpelliceis, armuciiſq; ſuper humerum ſiniſtrum inſigniti, & incedãt orantes, vel cantantes iuxta laudabiles locorum conſuetudines, reuertanturq; ordinatim ad monaſterium omnes, niſi receſſus alicui, vrgente neceſsitate, indulgeatur ex venia ſuperioris. Qui verò ſecus fecerint, profiteãtur ſuã culpam

pam in refectorio,humiq; comedant, pœnamq; cōdignam à ſuo Rectore decretam humiliter perſoluant.

De Miſsis nouis, & conuiuiis. Caput V.

S*Acerdotes noſtri in Miſsis nouis celebrandis,operam dent, vt bona potius conſcientia ſuo Creatori placeant ad Altare,quam cōuocatione muſicorum ſiue inſtrumentorum ſiue vocum, & modeſto apparatu arbitrio ſuperioris,ſuas Miſſas in cōuentibus propriæ reſidentiæ cantent. Ad dictas vero Miſſas aliquē noſtrorum fratrum extra Diœceſim commorantem inuitari prohibemus.Ex laicis itidem,præter paucos agnatos noui presbyteri,& aliquem ſodalitatis amicum, qui tamen omnes ex licentia ſuperioris, & non aliter,introduci debebunt,nemo inuitetur.*

Canonici ſanctæ Mariæ in Vantio, & S. Iacobi Mōſcilicis in territorio Patauino,ſe inuicem non inuitent ad feſtā ſuarum Eccleſiarum propter locorum diſtantiam,ſub pœna comedendi ſemel in terra, & priuationis Canonicatus per annum: & ſub eadem animaduerſione prohibitum eſt duobus cōuentibus Vincentiæ.ſcilicet ſancti Rocchi, & ſancti Auguſtini, accedere ad feſtum ſanctorum Firmi, & Ruſtici, & è contra, ob eandem diſtantiæ cauſam: licet tamen inter duos Conuentus, tum Venetiis, tum Ve-

ronæ, & Vincentiæ exiſtentes, ſe inuicem ad propria feſta inuitare ob eorum vicinitatem, & inuitati non ducant ſecum laicos, aut alios exteros, abſq; licentia Rectoris loci, vbi feſtum celebratur. Omnes autem in ſero eiuſdem diei reuertantur ad propria monaſteria, aliter agentes iuxta delicti culpam puniantur.

Decretumq; eſt, ne ad menſam in feſtiuis cōuiuiis dentur amplius, quam duo fercula, carnis toſtæ alterum, & elixæ alterum, oua item bina cuiq;, iecinoris pulmentum cum ſalito farcimine, & placenta cum fructibus, & bellariis, ſi dies ſit talium comeſtioni, dari poterunt. Similiter ex piſcibus moderatè prouideatur tempore ieiuniorum, vt religioſos decet. Procuratoribus in eo, quod excedunt, nō ſoluantur expenſæ, & in ratiociniis ex diurnalibus libris, quod ſuper erogatum fuerit, tamquàm inutiliter factum deleatur, niſi tamen quandoque locorum, & perſonarum qualitate inſpecta, aliquid addendum ſuperiori videatur in conuiuiis diei, quo vel Miſſa noua, vel feſtum propriæ Eccleſiæ celebratur.

Hæc de conuiuiis lautioribus dicta ſint, nā circa aliud conuiuiorum genus, quæ quandoq; fiunt, & recreationes vulgò dicuntur, moderatior expenſarum, & ferculorū ratio obſeruanda eſt.

De

De Miſsis, & aliis oneribus erga benefactores, & de Sacerdotibus negligentibus. Caput VI.

SAcerdotes noſtri præterquàm quod in Miſſarũ ſacrificiis debent ſemper orare pro benefactoribus, tam viuis, quam defunctis, omnia legata, & relicta deſcripta habeãt in tabellis ad hac ſpeciatim poſitis in omnibus ſacrariis noſtrarum Eccleſiarum, cũ omnibus anniuerſariis, & oneribus perſoluendis, vt piis defunctorum uoluntatibus ſatisfiat.

Volumus etiam, vt ſingulis ſecundis feriis feſto nouem Lectionum, vel aliquo proprio anniuerſario nõ impeditis, Miſſa cõuentualis pro omnibus defunctis cantetur in omnibus Eccleſiis noſtris collegiatis.

Inſuper decernimus, vt ſpeciatim oretur in Miſsis noſtrorum ſacerdotum pro anima ſanctiſsimi D. D. Eugenii Papæ IIII. Felicis, & piæ memoriæ.

Itidem pro anima Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. D. Antonii Corarii Cardinalis, & in omnibus noſtris collegiatis Eccleſiis die xix. Februarii fiat anniuerſarium dicti Domini Antonii Cardinalis, & die xxiii. eiuſdem menſis D. Eugenii Papæ prædicti.

Vndecima verò Auguſti Illuſtriſsimi D. Latini Vrſini Cardinalis, & fundatoris Eccleſiæ ſancti Saluatoris de Lauro in Vrbe, pro quibus oĩbus cãtetur ſolẽniter Miſſa.

Secunda feria poſt Dominicam Septuageſimæ fiat an-

niuerſarium pro omnibus fratribus defunctis è congregatione noſtra. Pari modo prima ſecunda feria menſis Septembris fiat anniuerſariũ pro benefactoribus, & p agnatis fratrũ cõgregationis, in quibus anniuerſariis totũ mortuorum officium recitetur, & Miſſa ſolẽniter celebretur.

Præterea pro animabus ſummorum Pontificum, & Illuſtriſsimorum Protectorum, quemadmodum noſtri ſinguli ſacerdotes debent pro ipſis ſacrificia offerre, dum viuunt, ita ipſis decedentibus, audita eorũ morte in vnaquaque Eccleſiarum noſtrarum Collegiatarum, cantent vnã ſolennem Miſſam pro defunctis.

Quando etiam ſcitur ex noſtra fraternitate aliquem deceſsiſſe, cantetur vna Miſſa pro anima ipſius, in ſingulis Eccleſiis collegiatis.

Sacerdotes, qui aut negligentes fuerint notabiliter in celebratione Miſſarum, ita vt rarò celebrent Miſſam, aut inuitati ad celebrandum Sacriſtæ reſpondẽt inhumaniter, vel irreuerenter, puniantur ſeuerè à Superioribus, & ſi perſtiterint in negligentia priuentur Canonicatu, & veſtimentis, aut alia pœna arbitraria à Rectoribus, cum conſilio Deputatorum mulctentur. Priores autem, qui notabiliter negligentes fuerint in rebus pertinentibus ad cultũ diuinum, quantum ad Miſſarum, vel aliorum diuinorum officiorum celebrationem, cognita huiuſmodi negligentia à Viſitatoribus puniantur, & ipſo iure, finito officio priuati ſint canonicatu per annum.

De

De Sacriſta. Caput VII.

Eligatur Sacriſta vir ſedulus, diſcretus, & timẽs Deum ex familia uniuſcuiuſq; noſtrarum Ecclesiarum, cuius partes ſint in primis dare operam, vt ſanctiſsimum Domini corpus decenter in cuſtodia conſeruetur, diligenterq; cauere, ne vnquam in ea ſacramentum deſit, & octauo quoq; die innouetur.

Incumbat, vt nullo modo deſit ante ſanctiſsimũ Sacramentum, neque interdiu, neque noctu debitum lumen.

Itidem procuret ſanctas reliquias omni decentia, & veneratione cuſtodiri.

Oleum ſanctum pro infirmis, vt decet aſſeruatum ſingulis annis renouet, & nouo accepto, vetus comburatur in Eccleſia.

Item iuxta conſuetudinem, & obligationes ſuæ Eccleſiæ, Miſſas, ordine, & horis conuenientibus dicendas, ſiue cantandas diſponat.

Quando Prior pro aliquibus fundi preces, aut Miſſas celebrari iuſſerit, ſchedulam, in qua huiuſmodi iuſsio ſcripta ſit, videndam figat in ſacrario.

Externos ſacerdotes incognitos non admittat in Eccleſia ad celebrationem abſque licentia.

Cruces, calices, paramenta, & reliqua id generis, vt par eſt, conſeruet diligenter, & quotidiè ſuper calices debi

 tapo-

ta ponat velamina, ideſt coloris conuenientis iuxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ.

Similiter altarium, & miniſtrorum ornamenta, quod ad colorem attinet, habita temporum, & feſtorum ratione, iuxta Eccleſiaſticos ritus diſponat.

Cum templum ornandum eſt, nihil ſine licentia Prioris mutuò ad eam rem ab externis petat, detq; operam, vt quod acceptum fuerit, accuratè cuſtodiatur, & Dominis quamprimum reddatur.

Librum habeat, in quo eleemoſynas, quæ Eccleſiæ erogantur, & expenſas ſeparatim ſcribat. Sciat autem excõmunicatum eſſe in noſtra Congregatione, qui fuerit occultator eleemoſynarum, quæ ſunt alicuius momenti.

Panni omnes linei ſemper mundi ſeruentur.

Corporalia, atque etiam purificatoria ſeparatim lauẽtur, & vtrorumq; ablutio, ac cineres eorum, quæ vetuſtate conſumpta comburuntur, in ſacram piſcinã mittãtur.

Catalogum rerum omnium Eccleſiæ mobilium habeat, in quo etiam noua, quæ dantur, aut fiunt, addantur: & ſi quid vetuſtate conſumptum fuerit, aut aliò à Priore tranſmiſſum, annotetur, vt poſſit, quando opus eſt, de omnibus ratio reddi.

Sæpè etiam res precioſiores inſpiciat, ne lædãtur, aut aliquo modo deteriores fiant, ac debitum remediũ adhibeat.

Curam ſepulturarum, candelarũ, anniuerſariorũ, & omniũ, quæ adimplẽda ſunt in Eccleſia, diligentẽ habebit.

Curet

Curet vt veſtimenta, quibus ſacra facturus induitur, ſint rectè aptata, ipſumque ſacerdotem circumquaque intueatur, antequam è ſacrario exeat.

Tot habebit appenſa ſudariola in ſacrario, quot fuerint Domi ſacerdotes, inſcriptis ſingulorum nominibus, & addito vno, vel pluribus pro aduenis.

Curet, vt vinũ, quod in ſacrificium paratur optimũ ſit, & recenter hauſtum, ſimiliter & aqua, & ampullæ ſint nitidæ, & decenter cooperta.

Hoſtias faciat ſingulis Hebdomadibus eo numero, vt & Miſſis, & Communionibus ſufficiant.

Si quis ab eo aliquid quæreret, quod à Ianitore melius, & commodius ſcire poſſet, eum ad Ianitorem remittat, ac eos, qui per portã, qua à templo in Monaſteriũ patet aditus, ingredi vellent, arceat, niſi viri eſſent eiuſmodi, vt eorum peculiaris ſit habenda ratio. Nunquam autem ea porta aperta relinquatur, ſi fieri poteſt.

Curet vt nunquam aqua deſit, vbi lauantur manus, & vt ſint lintea conuenienter munda, tum pro ſacerdotibus, tum pro miniſtris diſtincta ad manus extergendas.

Prouideat, vt aqua benedicta in Pila nõ deſit, & ſingulis ſabbathis ĩ ſero noua aqua vaſa repleat, & eã benedicat.

Quamdiu templum eſt apertum, diligenter curet, ne vnquam ſine cuſtode relinquatur.

Aduertat ne quis in tẽplo deambulet, ne vè ſtrepitũ faciat, ac eos, qui loquũtur altius, modeſtè, vt decet, admonebit.

Det operam diligenter, vt altaria ſint munda, & bene præparata, & pro ratione temporum ornata, atque vt vaſa ſacra, ornamenta, & cætera omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, in ſuis locis aptè, & decenter poſita.

Inuigilet, vt templum ſimiliter ſit mundum, & bis ſaltem in Hebdomada, ac ſæpius ſi neceſſe ſit, in feſtorum præſertim ſolennium Vigiliis, verratur.

Canes è templo abigat: templi portas mane, ſed non ante aurorã aperiat, eaſdemq; Veſperi, circa ſolis occaſum diligenter claudat, quod etiam faciat circa meridiem, niſi Superior aliquo caſu, ſecus faciẽdum iudicauerit. Claues vt videbitur Priori, vel tradat, vel cuſtodiat ipſe.

De Campanario. Caput VIII.

OFficium Campanarii eſt ad Matutinum noctu vocare Fratres, pulſando ſolito inſtrumento ad ſingulas cellas, hora à Superiore ordinata: à quibus cellis non diſcedat, niſi prius ab vnoquoque fratrũ aliquid reſpondeatur, quo percipiat illum adeſſe, & experrectum eſſe. Hoc autem peracto, cum campana primum ſignum det, quod continuare debet ſpatio temporis, quo recitaretur Pſalmus quinquageſimus, Miſere mei Deus.

Lampadem deinde accẽdat, eamq; ante lectorile figat, aperiatq; librum ſuper lectorile poſitum, & aliquantulo moræ interuallo tranſacto, minori campana vltimum ſignum

gnum pulſet,neque finiat,donec paruulo tintinnabulo chori,ei à Priore annuatur.

Facto die,hora ordinata à Superiore,denuò cellas ſolito inſtrumento verberet,& primum ſignum campana edat, deinde facto interuallo quaſi vnius horæ, vel arbitrio Rectoris, vltimum ſignum pulſet pro Prima celebranda, & antequàm Prima expleatur, det ſignum pro Miſſa dicenda poſt Primam. Circiter verò mediã Miſſam edat primum ſignum pro Tertia, & Miſſa peracta, vltimũ ſignũ det. Dumq; hora Sexta perſoluitur,edat duo ſigna pro maiori Miſſa. Qui ordo ſeruandus eſt iuxta rubricã Miſſalis Romani in feſtis ſimplicibus, & feriis per annum. At in feſtis duplicibus, & ſemiduplicibus in Dominicis, & infra octauas, Miſſa conuentualis celebranda eſt poſt Tertiam.

A ſolennitate Reſurrectionis vſque ad exaltationem ſanctæ Crucis,poſt prandium,interpoſito vnius horæ interuallo,Capituli tintinnabulo det ſignum ſilẽtii, & prope meridiem pulſet ſolito more ad cellas: quo peracto edat ſignũ Angelicæ ſalutationis, aliquantulaq; mora interpoſita, ſi dies profeſtus ſit, tintinnabulo Capituli,ſi dies feſtiuus minori campana ad celebrandam Nonam conuocet fratres.

Quando autem ieiunium eſt, tunc dicitur Nona ante Miſſam Conuentualem,hora decreta à Rectore.

Poſt prandium autem, interpoſito interuallo vnius horæ,edat ſignum ſolitum ſilentii, & verberationem Cellarũ tranſ-

transferat, vſque dum pulſandum eſt primum ſignum Veſpertinæ horæ, cui diebus profeſtis duo tantum ſigna præponuntur, Completorio vero vnicum.

In diebus ſemiduplicibus in Dominicis, & infra octauas ad Matutinũ, Tertiam, & Veſperas tria ſigna eduntur, hoc modo, primum ſignum maiori campana, ſecundũ eadem campana inchoatur, & à medio vſque ad finem, altera minori campana duplicatur. Vltimum ambabus iiſdem campanis ſimul ſignificatur. Sabbatho vtrunq; ſignũ Miſſæ conuentualis de Beata Virgine duabus ſimul campanis duplicatis editur. Similiter ad Sãctus ante eleuationem ſanctiſsimi Sacramenti duabus campanis pulſandũ eſt, tam in Miſſa Conuentuali de Beata Virgine, quam in Dominicis, & ſemiduplicibus, & per octauas.

In duplicibus autẽ idem obſeruatur, niſi quod vbi ſunt plures duabus campanis, ſecundũ ſignum incœptum cum vna campana, ab ipſius medietate cum duabus aliis triplicandum eſt, & vltimum ſimiliter tribus campanis à principio editur.

In duplicibus maioribus ad Matutinum, Tertiam, Veſperas, ad maiorem Miſſam, ad Sãctus, in omnibus ſignis omnes pulſentur campanæ.

Summo mane, meridie, & in ſero iuxta cõſuetudinem locorum, ſignum pro ſalutanda Deipara Virgine, Campanarius non prætermittat.

Et ſi quãdo propter vniuerſalem aliquam cauſam in

aliis

aliis Eccleſiis campanæ pulſantur, ipſe etiam iuxta Superioris præſcriptum campanas pulſet.

Is etiam accendere debet in ſero lampadem in Dormitorio, pulſareq; ſignum, quo omnes tenentur accedere ad benedictionem antequam dormitum eant.

Quando euenerit, vt aliquis ex noſtra familia moriatur, ita pulſet iuxta morem patriæ campanas, vt memoriam mortis incutiat, & inuitet audientes ad orandum pro anima defuncti.

De Curato. Cap. IX.

IN monaſteriis, quibus imminet cura animarũ, ad Rectorem ſpectare debebit vnà cum ſuis deputatis prouidere de ſacerdote idoneo litteris, & moribus, & verſato in caſibus conſcientiæ, qui Parochi munus gerat, idemq; ſit antea approbatus ab Ordinario ad curam animarum, & ad Confeſſiones audiendas.

Habeat ille habitationem ſuã non longè ab oſtio Eccleſiæ, ad maiorem populi commoditatem, ita vt paratus ſit die, ac nocte, remotis clauſtri impedimentis, curæ neceſsitatibus ſubuenire; idemque exemptus ſit etiam ab oneribus, & officiis Eccleſiæ, & Conuentus, vt quando occaſio poſtularit, copiam de ſe petentibus præbere poſsit.

In adminiſtratione ſacramentorum ſemper vtatur ſuperpelliceo cum ſtola, nec audiat Confeſſiones cum habitu

quotidiano, obſeruetq́; in his ritus, iuxta morem aliorum Parochorum ciuitatis.

Diebus feſtis habeat breuem ſermonem ad populum pro loci, & perſonarum congruentia, & doctrinam Chriſtianam edoceat, iuxta decreta ſacri Concilii Tridentini, & publicet matrimonia diebus conſtitutis, & bullas, edicta, atque alia, quæ iuſſerit Ordinarius.

Habeat librum, in quo deſcribat nomina contrahentiũ matrimonium, item alium, in quo deſcribat nomina baptizatorum, ſi Eccleſia baptiſmalis fuerit, item alium, vbi ſcribat nomina confirmatorum.

In reliquis omnibus ea obſeruare nõ prætermittat, quæ alii Parochi debent, iuxta conſtitutiones Epiſcoporum loci, & decreta ſacri Concilii.

Quodſi deputatus ad curam animarum nõ regularis, ſed ſæcularis fuerit, atque admiſſus, & approbatus ab Ordinario, vt ſupra, habeat idem habitationem ſuam contiguam Eccleſiæ, atq; ita diſpoſitam, vt quouis tempore etiã noctu eam ingredi, atque emergentibus neceſſitatibus ſeruire poſsit.

Prouideat etiam Rector, vt pauperum, qui in Parochia fuerint, inopiæ, & neceſſitati ſiue per eum, qui ad curam animarum fuerit deputatus, ſiue per alium, prout ei videbitur, cum charitate, & pietatis ſolatio ſubueniatur.

De

De permiſsione habitus noſtri laicis petentibus in morte, & de ſepulturis conſtruendis. Cap. X.

SI quiſquam noſtri habitus pietate motus, illo indutus deferri ad ſepulturam petierit, habita cõſideratione ipſius qualitatis, à Rectore cũ Deputatis, id permitti poterit. Noua ſepulchra in Eccleſiis, aut clauſtris conſtruenda ex deliberatione maioris partis vniuſcuiuſque Collegii ad deliberãdum Capitulariter congregati, concedantur. Rectores temerè ſecus facientes per annum voce actiua, & paſsiua priuati ſint.

De Confeſſariis, & caſibus reſeruatis. Caput XI.

NEmo noſtrorum Sacerdotum ſua ſponte, vel mulierum, vel virorum laicorũ confeſsiones audire præſumat, niſi ad hoc munus electus fuerit, auctoritate Patrum, quinque Diſtributorum, aut Reuerendiſsimi Patris Generalis, aut imminente aliqua neceſsitate Prioris loci: conſcientias quorum omnium maximè oneramus, vt conſideratis conſiderandis, idoneos ſacerdotes in confeſſarios ſeligant, & ordinariis locorum præſentari procurent, vt ab eiſdem approbentur: Aliter enim nullam iuriſdictionem habent. Si quis noſtrorum Sacerdotũ non electus (vt diximus) ſed auſu temerario acceſſerit ad ordinarios locorum, & intruſerit ſe ad examen, vt ad confeſsio-

feſsiones laicorum admittatur, non ideo tamen permittatur audire confeſsiones, ſed talis in pœnā per ſemeſtre tempus non exeat à ſeptis conuentus.

Omnino autem inhibemus, ne quis ex ſacerdotibus noſtris confeſsiones fratrum noſtrorum non ſacerdotum audiat, præter Priorem, & Deputatos, qui ſaltem per triennium Miſſam celebrauerint, & ad audiendas cõfeſsiones idonei ab ipſo Priore, vel Reuerendiſsimo Generali iudicati fuerint: in caſu tamen neceſsitatis, & quando Priori id viſum fuerit, admitti poterit ad huiuſmodi cõfeſsiones aliquis alius ſacerdos ab ipſo Priore electus. Nouitiorum autem confeſsiones nemo audiat, niſi ipſorum Magiſter, & Prior.

Item omnes ſacerdotes audire ſe inuicem, & abſoluere poſſunt, (exceptis tamen caſibus reſeruatis) qui per triennium completum ſacram Miſſam celebrauerint.

Si quis autem contra hoc noſtrum præſcriptum auſus fuerit, vel audire confeſsiones, vel accedere ad confitendũ, præterquam quòd nulla erit abſolutio, tam confeſſarius, quam confitens triennio careat voce actiua, & paſsiua, & qui non ſunt Canonici, eodem tempore ſuſpendãtur ab adminiſtratione ſacrorum ordinum ad arbitrium Prioris, neque per ſemeſtre tempus poſsint egredi à ſeptis conuentus. Conuerſi autem per annũ, omni ſexta feria, in refectorio comedant in terra profitentes ſuam culpam.

Eaſdemq; pœnas incurrant, qui data opera ex proprio

Mo-

Monaſterio ad aliud ſe transferunt, vt ibi confiteantur, niſi licentiam ibi confitendi à proprio Superiore, in ſpecie obtinuerint.

Item ſi quis ex fratribus noſtris, cui poſſit eſſe copia confeſſarii noſtri ordinis, repertus fuerit accedere ad alios Cōfeſſarios extraneos, ſiue regulares, ſiue ſæculares, abſque licentia Prioris, ſubiaceant eiſdem pœnis. Quod tamen non habebit locum in caſu indulgentiæ generalis, ſeu Iubilei; in quibus datur facultas à ſummo Pontifice, eligēdi quemcunq; Confeſſariū approbatū. Tunc enim quiſq; ex fratribus poterit, cui voluerit, confiteri, etiā extra monaſterium, iuxta formam Iubilei, dummodo id notificet Superiori ſuo.

Volumus, vt fratres etiam hoſpites obſeruent ſupradictum decretum.

Illi autem, qui habitant ruri, petant Confeſſarium à Superioribus ſuis.

Caſus reſeruati Priori ſoli in noſtra Cōgregatione, ſunt duo tantum. Committentes furtum in re notabili, quæ ſcilicet excedat decimam partem vnius aurei.

Et percutientes deliberatè.

Caſus reſeruati Priori, & Deputatis ſunt infraſcripti.

Contumeliam irrogantes, vel per libellum famoſum, vel per aliam ſpeciem grauiſsimæ iniuriæ.

Conſpirantes contra aliquem in malum finem.

Simoniaci tam dantes, quam recipientes, ſeu realiter, ſeu verbaliter.

Dimit-

Dimittentes habitum ad malum finem, etiam cũ animo reaſſumendi.

Exeuntes noctu furtim è ſeptis monaſterii.

Apoſtaſiam à religione conſulentes alicui ex noſtris fratribus, etiam nouitiis, vel conuerſis.

Luxuriæ crimen incurrentes cum altera perſona, & tam agentes, quam patientes.

Tenentes claues furtiuas, vel ſuppoſititias portarũ Eccleſiæ, Conuentus, Sacrarii, Penoris, Horreorum, vel Cellarii, item ſcientes, qui huiuſmodi claues teneant, & non reuelantes.

Extinguentes lumen lampadarum dormitorii, vel alterius loci ad malum aliquod occultandum in nocte.

Iurantes falſo in examine, & iudicio.

Quando vero in opportunitate alicuius ſolennitatis, Priores præbent licentiam generalem confitendi, & abſoluendi in caſibus etiam reſeruatis, delegent aliquos idoneos Confeſſores, qui, vel à quibuſdam, vel ab omnibus caſibus reſeruatis abſoluere poſsint.

De Confeſsione. Caput XII.

POenitentiæ ſacramentum ab omnibus frequẽtetur. Si quiſpiam ex fratribus tam negligens extiterit, vt ſaltẽ bis in Hebdomada non confiteatur ſacramentaliter, in refectorio coram omnibus ſuam profiteatur culpam, cui Rector talem im-

imponat pœnam, vt aliis ſit in exemplum.

Sacerdotes autem, qui ad menſam ſacram ferè quotidiè accedere debent, conſcientiis ſuis etiam ſæpius conſulant remedio opportuno.

De ieiunio. Caput XIII.

A Feſto ſanctiſſimæ Trinitatis vſque ad exaltationem ſanctæ Crucis, ſextis feriis ſeruetur ieiunium, non occurrente in hebdomada vigilia de præcepto; & à die exaltationis ſanctæ Crucis, vſque ad feſtum omnium Sãctorum, præter ieiunium in ſextis feriis, vt dictum eſt, in quarta feria ſerò ad refectionẽ detur ſingulis vnus tãtum panis cum acetario. Niſi eo die à Rectore aliter, ob aliquam incidentem ſolẽnitatem, diſpenſetur.

Poſt feſtum autem omnium Sanctorum vſq; ad Aduentum, quotidiè, exceptis Dominicis, abſtinentia obſeruetur, vt ſcilicet abſq; ciborum delectu, in ſero detur ſolummodo panis vnus cum acetario, præter ſextas ferias, quibus ſeruari ieiunium volumus, vt ſit in ieiuniis præceptis ab Eccleſia.

Ab octaua Epiphaniæ Domini vſque ad Dominicam Septuageſimæ, ſexta feria tantum celebretur ieiunium.

Toto Aduentu, & Quadrageſima, (Dominicis exceptis) Quatuor Temporibus anni, & Vigiliis de præcepto, frangentes ieiunium, abſque legitima cauſa à Superiore probata, pœnas grauiſſimæ culpæ ſubire volumus.

In

In ieiuniis feriæ ſextæ, Aduentus, & Quadrageſimæ adiiciatur aliquid ad ieiuniū arbitrio Superioris, niſi aliqua incidat ſolennitas, aut ex occaſione aliqua aliud videretur ipſi Rectori diſponendum.

Sexta autem feria maioris hebdomadæ, ob memoriam paſsionis Domini, in refectione ad panem, & vinum addatur, dumtaxat acetarium ex lactucis, & obſonium ex ciceribus. Alicui tamē imbecillo indulgeatur aliquid aliud, iuxta neceſsitatem ſuam.

De diſciplina. Caput XIIII.

INter alias ſpecies macerationis carnis, quæ ſancti, & religioſi viri vſi ſunt, non infima eſt illa, quæ diſciplina appellatur: Cum ſcilicet verberibus ſeipſum aliquis cedit, facto ex funiculis flagello. Ad hāc igitur diſciplinā fratres noſtri confugiant, quando ea indigent, & præcipuè cum carnis tentationibus moleſtātur: Et omnes nō impediti infirmitate, aut ætate decrepita, ſimul in locum decretū conuenientes, cum Pſalmis, & precibus, vt moris eſt, ab exaltatione ſanctæ Crucis, vſque ad Natale Domini in quartis, & ſextis feriis diſciplinā faciant, niſi aliqua ſolennitas incidat.

Ab octaua Epiphaniæ vſque ad Septuageſimam, ſextis tantum feriis eandem perficiant.

In Quadrageſima autem, ſecundis, quartis, & ſextis feriis vſque ad Dominicam Palmarum, & exinde vſq; ſabba-

ſabbathum ſanctum excluſiue, quotidiè peragant diſciplinam.

Quando ſumenda eſt Euchariſtia. Caput XV.

RECtores ad ſacram Communionem ſæpenumero hortentur fratres, & clerici, & conuerſi, omnibus Dominicis diebus totius anni, & ſolennitatibus Domini, & Beatæ Virginis Mariæ, & Apoſtolorum, ſumant ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum. Clerici quidem in Miſſa cõuentuali induti ſuperpelliceis: conuerſi verò vel in eadem Miſſa, vel in alia, pro temporis opportunitate.

De ſilentio. Caput XVI.

IN Oratorio, Refectorio, & Dormitorio continuum ſemper ſilentium obſeruetur, niſi tamen quandoque ex rationabili cauſa in Refectorio, poſt completam Lectionem, Superiori diſpenſandum videatur: & poſt Completorium, à veſpertina pulſatione ſalutationis Angelicæ, vſque ad ſignum campanæ, quod fit ſummo mane ad Primam, ſummiſſa voce, & paucis verbis vbique omnia tractentur.

A Paſchate etiam, vſq; ad exaltationem ſanctæ Crucis, poſt prandium hora ferè elapſa, quod tintinnabulo ſolet indicari, idem ſeruetur, vſque ad pulſationem meridianã

ſalutationis Angelicæ. Qui autem ſilentium fregerint, profiteantur ſuam culpam in Refectorio.

De culpis profitendis. Caput XVII.

ALterutro è duobus, videlicet vel ſexta feria, vel ſabbatho in vnaquaque hebdomada, niſi ineuitabili impedimento præpediantur, Rectores ſigno tintinnabuli ſoliti conuocent fratres ſuos ad Aulam capitularem, eoſq; hortentur ad fraternam charitatem, patientiam, vitiorum mortificationem, obediētiam, & tum Regulæ, tum Conſtitutionum obſeruantiam; & doctrinæ opportunitate, ac veritate, infirma confirment, diſrupta conſolident, & deprauata conuertant.

Subditi cũ omni humilitate ꝓfiteãtur ſuas culpas, hilariterq; ſatisfactionis onus impoſitũ ſuſcipiãt à Rectoribus.

Qui autem ſe geſſerint negligenter Rectores in hac functione, vel ſaltem bis in menſe ad huiuſmodi Capitulum fratres non conuocauerint, à patribus Viſitatoribus ſeuerè puniantur.

De pietate fratribus morientibus impartienda. Caput XVIII.

CVm aliquis ex noſtris fratribus grauiter ægrotare videtur, Rector, aut alius Sacerdos ipſius iuſſu accedat ad cubiculum, appropinquanſq; lecto, quo infirmus decumbit, eum blandè, ac leniter alloquatur,

quatur, vt omnem ſpem ſuam in Deo ponat, vtq; flagellũ Dei patienter toleret, idq; ad purgationem, & caſtigationẽ ſuam prouenire credat: Et præcipuè ad emendationem firmam (ſi Dominus vitam tribuerit) inducat, atq; vt peccata ſua cõfiteatur, ſuadeat: & ad memoriam ei reducat, quòd omnibus fratribus noſtris ex benignitate Apoſtolica, & ſpeciali priuilegio indultũ eſt, vt in articulo mortis poſſint deligere ſinguli Confeſſarium, qui plenaria auctoritate ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiamſi ſedes Apoſtolica conſulenda foret; abſoluere valeat confitentem, & inſuper ex eadem benignitate indulgẽtiam plenariã eidẽ elargiri.

Poſt ſuſceptam autem pœnitentiæ medicinam, ad ſalutaria etiam ſacramenta, tum Euchariſtiæ, tum extremæ vnctionis ſuſcipienda inducatur infirmus, quibus aſſumptis in fide valida, & in miſericordia Dei fidẽdum omnino eſſe, prædicet ſpiritualis pater: qui ſanctis perſuaſionibus infirmum non deſiſtat monere, & conſolari, donec integer eſt ſenſibus, vt releuetur, ac muniatur eius mens.

Cum verò cognoſcitur iam incipere ad meliorem vitã tranſire, & in agonia poſitus eſſe, præcipiat Rector, vt tintinnabulo Capituli, vel alio ſigno conuocentur omnes fratres conuentus, ac prætermiſſis omnibus eò ſe transferant, vbi iacet infirmus. Ibiq; ſanctis, ac piis precibus orent ad Deum oẽs pro anima eius, nemoq; inde recedat abſq; Maioris licentia, donec anima egreſſa fuerit, qua egreſſa lauetur corpus à duobus, quibus Rector iniunxerit. Et ſi cleri-

cus ſit, ſuppelliceo, ſi Subdiaconus, vel Diaconus, vel Sacerdos, ſacris veſtibus, vt cuiuſq; gradus poſtulat, induatur.

Peractis exequiis, clericus eodem ſuperpelliceo, ſacris autem initiati, alba, amictu, & cingulo induti ſepeliatur. Rector verò imponat, vt quilibet Sacerdotũ Miſſam mortuorum pro anima ipſius defuncti celebret, ac ſaltem per triginta dies memor ſit illius animæ in commemoratione ſecreta pro defunctis, quæ in ſacrificii oblatione peragitur.

Quiſque autem clericorum triginta diebus officiũ mortuorum perſoluat, dicendo Veſperas, Nocturnum vnum cum ſuis lectionibus, ac laudes qualibet vice.

Vt autẽ animæ defuncti probe cõſulatur, præparentur p̃ triginta dies cibi in menſa in loco, vbi ſolebat accũbere, qui obiit; cibiq; eiuſmodi præparati dentur alicui pauperi pro aĩa ipſius, vel alia æquiualẽti eleemoſyna, prout videbitur magis expediens Rectori, hæc ciborũ elargitio ſuppleatur.

Præterea Rector quamprimũ Rectoribus aliorũ Conuentuũ, per ſuas litteras, fratris defuncti mortẽ ſignificet, qui Miſſam ſtatim decãtari procurabũt: & pia hortatione excitabunt fratres, vt ſuo officio erga mortuum quiſq; fungatur in celebrandis ſcilicet triginta Miſsis, cum commemoratione ſecreta pro anima defuncti, vt ſupra dictũ eſt, vel in officiis mortuorum recitandis.

Omnes verò meminerint, ꝙ quæ ſeminauerit homo, hæc & metet, & proinde p̃cũret quiſq; abũdare in benedictionibus, vt de benedictionibus metat vitam æternam.

CON-

CONSTITVTIONVM CANONICORVM CONGREGAtionis S. Georgii in Alga Venetiarum.

DISTINCTIO SECVNDA.

De habitu, & qualitate veſtium. Caput I.

HABITVS fratrum Congregationis noſtræ, quemadmodum à maioribus eum accepimus, erit, vt ſequitur.

Inprimis ſuper carnem induătur interula lanea ſtaminea albi coloris, vt religioſos decet, & ſuper ipſam, tunica talari ſimiliter alba, ex panno, vel ex illa textura, quæ vulgò dicitur ſaia, vel raſcia, ſeu raſcietta, quæ non ſit ob nimiam ſubtilitatem, vel pretioſitatem reprahenſibilis, cum globulis non ſericis, ſed ex materia ipſius veſtis confectis, cum collare depreſſo, & arcto ad proportionem, & debitã menſuram colli.

Toga, quæ vulgò dicitur pellanda, ſit ex panno, vel ex textura ſuperius dicta, colore cæruleo infecta, cum manicis latis, & collare decenti, & proportionato, abſque globulis, non fiſſa ante, ſed clauſa.

Veſtis ſuperior, quam vulgò dicũt tabarrum, ad vſum honeſtæ, & antiquæ formæ Cõgregationis conſtituenda eſt, eius manicæ extremitatem manus ſupra quartam partẽ

vnius cubiti non excedãt: habeat collare proportionatum, & ipſius materia ſit ex panno, vel ex textura ſuperius dicta, coloris cærulei.

Pileoli vulgò bireta, coloris præfati, iuxta antiquam, & conſuetam formam Congregationis deferantur.

Pallium vulgò mantellum, quod defertur in itinere, ſit ex panno cæruleo, abſque vllo ornamento religioſorum ſtatui indecenti.

Manica pellicea, quæ, vt è manibus frigus arceatur, hieme intra Conuentum defertur, ſit ex pellibus agnorum vel vulpium, cooperta panno cæruleo.

Cingula ſint lanea, & etiam tolerẽtur ex illa materia, quæ vulgò dicitur filiſello, ſimplicia tamen, & abſque flocculis, cærulei, vel nigri coloris, ſi ſuper veſtem cæruleã deferãtur, alioquin albi, ſi interiorem tunicã, vel caligas ligẽt.

Tibialia, & Femoralia ſint ex pãno albo, vel ex textura ſuperius dicta, aut linea, vel goſſipina, vel canabacea, abſque ſerico, vel alio ornamento.

Ex pellibus verò dorcadis, quas vulgò vocant de camozza, tunc demum tolerari poterunt, ſi pelles huiuſmodi non ſint villoſæ, neque croceæ, ſed albæ, & ſimplices.

Chirothecæ non niſi in itinere permittuntur.

Galeri, ſiue Pilei ad frigus, pluuiam, vel æſtum ſolis arcendum, ſint nigri coloris, & formæ conuenientis, non turbinati, neque ſuperfluæ latitudinis.

De

De communi, & regulari obſeruantia Dormitorii. Caput II.

Omnes fratres dormiant in vno Dormitorio, in quo cellæ ſint ſeparatæ, & vnuſquiſque habeat ſuam cellam ſibi à Superiore deſignatam.

In ſero, pulſato tintinnabulo, accedant omnes ad accipiendam benedictionem à Maiore, qua accepta quilibet vadat ad ſuam cellam, & in ea dormiat ſolus, niſi ob aliquam cauſam ineuitabilem de conſenſu Prælati aliter diſponatur, veluti ex cauſa infirmitatis alicuius ex fratribus. Quodſi quis ſine legitima cauſa, & licentia Rectoris, cum aliquo dormierit, puniatur iuxta qualitatem culpæ, & conditionem perſonarum.

Poſt datam benedictionem in ſero, nemo ingredi poſſit cellam alterius ſine expreſſa licentia Prioris: per diem verò Sacerdotes tantum ingredi poſſint cellas aliorum Sacerdotum, occurrente aliqua rationabili cauſa, & portæ ſint ſemper patentes, donec ibi moram protraxerint, & loquantur ſubmiſſa voce, ne ſtrepitu alios perturbent. Reliquorũ verò non Sacerdotum nemo intret cellã alterius, niſi Prioris, vel Procuratoris, vel illius, ſub cuius cuſtodia fuerit, abſque licentia Prælati.

Nemo in cellis aliquid vanum, vel ſuperfluum habere audeat, puta aulæa, tapetia, conopea, ſpecula ornata, imagines, ſeu picturas prophanas, vel quid ſimile regulari ſtatui

tui impertinens: tranſgreſſores priuentur rebus ipſis, & per trimeſtre tempus non egrediantur à ſeptis conuentus. Habeat autem vnaquæque cella ſuum altariolum cum imaginibus ſacris, & vaſculum aquæ benedictæ.

De communi refectione. Caput III.

IN victu noſtro hic ſit ordo, vt nemo comedat, aut bibat extra comeſtiones ordinarias Refectorii, abſque licentia Rectoris.

Neq; ſingulares cibos ad menſam quiſque habere præſumat, abſq; ineuitabili neceſsitate probata à Superiore: ſed tantum illud quiſque habeat, quod communiter omnibus ex publico defertur: eos vero, qui cōtrafaciunt, Priores impediant, & puniant.

Ad refectionem autem in communi Refectorio omnes fratres bene valentes comedant, & facto ſigno vniuerſi cōueniant, benedictioneque præmiſſa gradatim ad menſam ſedeant, & incœpta lectione, atque à Prælato dato ſigno, cum gratiarum actione comedant cibos appoſitos. Qui deinde accedunt, genuflectant ante Rectorem, neq; ſurgant, aut ad menſam ſedeant, niſi habito nutu ab eodem. Et comedentes ſimul mentem erigant ad lectionem, ut cum refectione corporis anima etiam paſcatur.

Abſoluta refectione, & à Maiore facto ſigno, ut lector finiat, omnes ſurgāt cum dicitur, tu autem, &c. & gratias more ſolito Deo agant, gradatimq; à Refectorio exeāt: &

ſtatim

ſtatim poſthabitis colloquiis particulare officium recitet, uel Beatæ Virginis, uel mortuorum, iuxta laudabiles traditiones Maiorum.

De hoſpitalitate. Caput IIII.

IN ſuſcipiendis hoſpitibus humanitas unicuiq; congrua impartiatur, primum autem deducantur ad orandum in Eccleſiam, & oratione peracta in Hoſpitium introducantur, omniq; benignitate foueantur. Et ſi ieiuniũ eo die celebretur (non tamen in Aduentu, uel in ieiuniis præceptis ab Eccleſia, ut religioſis hoſpitibus maior charitas oſtẽdatur) Rector diſpenſare poterit, ut in nomine Domini congratulantes ſibi omnes ſimul manducent. Nemo tamen ex Canonicis in conuerſatione, & cæteris actibus, immiſceat ſe cum Peregrinis, & Aduenis, qui non ſunt ex noſtra Congregatione, abſque licentia Superioris, præter deputatos ad illorum ſeruitium. Hoſpitii autẽ cuſtos peregrinorũ maximè religioſorum pedes lauet.

Prohibemus autem, ne deinceps extranei à Congregatione noſtra, qualiſcunque fuerint conditionis, & præcipuè ſæculares homines ullo modo hoſpitentur, aut recipiantur in cellis Dormitorii noſtrorum Monaſteriorum, ſub pœna priuationis Canonicatus per biennium contrafacientibus infligenda. Ne tamen hoſpitalitatis iura deſerantur, permittimus, ut ſi quæ perſonæ Eccleſiaſticæ, aut etiam ſæculares uiri aliquorum ex noſtris fratribus cõſanguinei, ſeu

H Con-

Congregationis beneuoli, & benemeriti, ad Monaſteria noſtra diuerterint, poſſint eos Rectores, prout opportunum illis in Domino uidebitur, hoſpitio recipere in cellis hoſpitii ordinarii, quod uulgò dicitur Foreſtaria.

Verum ne ſub hoſpitalitatis nomine, Monaſteria noſtra, ex nimia Superiorum, & quandoq; indiſcreta indulgentia, publica fiant diuerſoria, & diſpendium, aut perturbationem patiātur, inhibemus eiſdem Rectoribus ſub prædicta, ac aliis pro modo culpæ ſtatuendis pœnis, ne quemquam ex aduenis hoſpitibus ultra dies octo in Monaſterio retineant, ſed in fine hebdomadæ eos benigne admoneant, vt ſibi de hoſpitio prouideant: demumq; conuocatis Deputatis, & conſideratis conſiderandis, præfigant eis honeſtū terminum, breuem tamen, vt inde cum charitate diſcedant, & interim ſuis ſumptibus viuāt. Quod ſi præter dies octo, Monaſterium in hoſpitum victum aliquid inſumpſiſſe apparuerit, id in rationibus ſubducendis non admittatur, ſed ipſius Rectoris damno cedat.

In Monaſterio ſancti Saluatoris ī Lauro de Vrbe, quia ſæpenumero contingit, ob importunam multorum interceſſionem, recipi ad inhabitandum nonnullos Prælatos, non ſine magno Canonicorum ibi degentium incommodo, & grauamine, decernimus neminem ſiue ex Prælatis, ſiue ex aliis graduatis perſonis recipi debere, niſi mandatū ad id interueniat ſummi Pontificis, aut ſaltem licentia Illuſtriſſimi Protectoris.

Deco-

Decoctores, & facinoroſi homines, qui ad Eccleſias cõfugiunt, vt illarum immunitate ſe tueantur aduerſus milites apparitores, non diu detineantur in Conuentibus: ſed cum primum tuto eiici poterunt, eiiciantur, nec ſinãtur in Conuentibus pernoctare, ſi poſsibile ſit, vt eorum repentinæ neceſsitati ſubueniatur, quemadmodum iura conſtituũt, & fratres ex mala ipſorum conſuetudine nõ perturbẽtur.

De ſtudio bonarum litterarum. Caput V.

IN Monaſteriis noſtris ſemper aliquæ vtiles legantur lectiones, & à Superioribus procuretur, ne deſint Magiſtri, qui pro iuuenibus Grammaticæ, & pro Sacerdotibus caſuum conſcientiæ lectiones interpretentur, vbi eſt ſufficiens numerus audientium: & quando non adſunt ex familia lectores, conducantur exteri bonæ vitæ, & ſanæ doctrinæ.

In Conuentu ſancti Georgii in Braida Veronæ educentur iuuenes ex nouitiatu educti, quibus exponatur lectio Logicæ facultatis per annos duos. Qui deinde in Conuentũ ſanctæ Mariæ in Vantio Patauium transferantur, vt poſſint vacare Philoſophiæ, & Theologiæ per annos ſex.

In Conuentu ſancti Saluatoris de Lauro in Vrbe detur opera ſtudiis, vel Philoſophiæ, vel Theologiæ, vel Canonũ, iuxta qualitatem iuuenum ibi commorantium.

In Conuentu ſancti Gregorii Bononiæ ponantur Sacerdotes, qui operã nauẽt ſacræ Theologiæ, aut iuri Põtificio.

Nemo ex Superioribus ſinat ſuos cõfratres accedere ad ſcholas, ſiue publicas, ſiue priuatas, extra Conuentum, horis, vel temporibus, quibus officium diuinum, vel aliqua regularis obſeruantia celebratur: & cui permittitur, accedat, & reuertatur ſemper iuxta præſcriptum: vt ſit aperta via virtuti, & diſſolutioni interclusa.

Scholares autem ſtudeant inprimis Deo placere, & finẽ ſtudiorum ſibi proponãt ſeruitium Dei, vt charitate alios ædificent, atque ipſi ſcientia ædificentur: ſi quis verò contentioſus fuerit, aut ſcandaloſus remoueatur à loco ſtudii, ne modicum fermenti totam maſſam corrumpat. Bonos autem & ſtudioſos non remoueant à ſuis ſtudiis Superiores; quinimo iuxta poſsibilitatem Conuentuum adiuuent, ac foueant, vt quandoq; pertingant ad metam deſtinatam.

Quando aliquis ex ſodalitio cognoſcitur habilis ad interpretationem alicuius lectionis, deputetur ad munus docendi in ea facultate, qua pollet, cum commoditatibus, & priuilegiis, quæ à Superioribus iudicabuntur expedire, vt poſsit fungi officio ſuo, & præcipue dum actu legunt, poterunt aliqua ex parte à choro diſpenſari: qui autem inuitatus, & requiſitus renuerit docere, puniatur à Patribus Viſitatoribus, iuxta qualitatem culpæ.

Cum autem quis compleuerit ſtudium ſuum, & ſacræ Theologiæ doctoratum deſiderauerit obtinere, eũ non prius aſſequi valeat, niſi Logicam, & Philoſophiã per tres annos, & Theologiam per bienniũ interpretatus fuerit: quo

lectio-

lectionum curſu peracto, Reuerẽdiſsimus Generalis cum Viſitatoribus certus de ſufficientia, doctorandi licentiam dabit, vt ille poſsit inſignia doctoratus accipere; & fieri Magiſter.

Neque putent inſigniti tali honore, ob hoc obtinuiſſe aliquam immunitatem ab ordinariis obſeruantiis, aut ius deferendi inter fratres annulos, aut alia inſignia inaſſueta toti ordini, ſed ſint ſimiles aliis in omnibus.

Cum autem noſcitur ex iis aliquis eſſe imbutus eruditione, & doctrina præſtanti, & vitæ puritate, & iudicetur idoneus ad concionandum, ex indulgentia Reuerẽdiſsimi Patris Generalis, & Viſitatorum, habita lic ẽtia Ordinariorum, munus concionandi ad ædificationem fidelium poſſit exercere in aliqua noſtrarum Eccleſiarum, & ſi proſperè ſuccedat opus, permittatur etiam tranſire ad exteras Eccleſias.

De receptione Nouitiorum. Caput VI.

REcipere Nouitios in Cõgregationem pertinet ad Reuerendiſsimum Generalem cum Viſitatoribus, Priore, & reliquis Deputatis Conuentus, quando Monaſteria viſitantur.

Qui omni ſtudio debent procurare, ne aſſumatur quiſquam obnoxius defectibus nominatis in Conſtitutione ſanctiſsimi D. D. Sixti V. contra illegitimos, &c. data ſub die octaua Nouemb. anni 1587. vtq; euitetur omnis deceptio,

procu-

procurent recipientes ſub pœna annorum trium priuationis Canonicatus infligenda vnicuiq; ipſorum, vt certiores fiant ex fide publici Notarii, & presbyteri Parochiæ, quo die, menſe, anno, loco ſit baptizatus, quibus parentibus natus, & à quibus educatus ſit ille, qui recipi deſiderat, quæ poſtea fides conſeruetur in Archiuio publico ſcripturarũ.

Neminem autem in clericum recipiant, niſi inſtructũ lingua Latina, qui rationem partium Grammaticalium reddere probè ſciat, quique ab omni infirmitate, & deformitate liber ſit.

Nemo item recipiatur, qui fuerit apoſtata, aut deſertor alterius Religionis, aut natus à damnatis de hæreſi.

Interdicitur autem Patribus quinque Correctoribus, & aliis quibuſcũq;, ne quem recipiãt ad religionem quouis nomine, ſeu quocumque prætextu, ſub pœna priuationis per triennium à Canonicatu ipſo facto.

Cum verò ſe offert quis ad ingreſſum, recitentur ei omnia impedimenta, & quamuis ſit idoneus, non tamen ſtatim ei annuatur, ſed priuatis colloquiis voluntas, & mens ipſius exploretur, ne aliquo fine obliquo moueatur, & cuius expectationis, ac ſpei ſit, conſideretur.

Proponantur ei auſteritates, & onera religionis. Qui ſi affirmauerit ſe facturum libenter omnia, ad quæ tenebitur ex vita religioſa, fiat ei proteſtatio, quod ſi occultauerit aliquem ex ſupradictis defectibus, etiam acceptus, ignominioſè exutus habitu, è monaſterio eiicietur.

Nemo

Nemo autem ad habitum admittatur, niſi prius à maiori parte eorum Patrum, ad quos ſpectat, approbatus fuerit, & declaratus habilis ad ingreſſum: per dies quindecim in habitu laicali conuerſetur recipiendus, quibus diebus, tam die, quam nocte exerceat omnia Nouitiis cõſueta, perſeueranſq; in propoſito induatur habitu, & recipiatur ad probationem per annum.

Die autem, quo Nouitius induitur, Rector cum cuſtode Hoſpitii lauet pedes eius, dumq; lauantur pedes, Hymni, aut Pſalmi cantentur: quo peracto, pia aliqua exhortatione Prior roboret eum, & imponat ei nomen alicuius Sancti: & remittat ad tutelam Patris ſpiritualis.

De Nouitiatibus. Caput VII.

VT Nouitii probè educētur, nouitiatus vnus erigatur in Cõuentu ſancti Petri Olineti Brixiæ, & alter apud ſanctum Iacobũ Monſcilice, in quibus educentur omnes Nouitii, & per triennium in iis permaneant, ibiq; ſit Dormitorium, ſchola, infirmaria, lauatorium, latrina, hortus, & omnia neceſſaria, vt poſsint permanere ſegregati ab omni conſuetudine aliorum, tam familiæ Conuentus, quam laicorum.

Neque vlla ex parte in Nouitiatum patere poſsit acceſſus, niſi ex ianua, quæ debitis horis clauſa ſit, & à Magiſtro Nouitiorum cuſtodiatur, cuius cella ſit intra Nouitiatum prope ianuam.

Nemo

Nemo illuc præter Priorem ingrediatur, aut introducatur, præſertim, quando adſunt nouitii, niſi statutis horis, Præceptores, Medici, Pharmacopolæ, & ſi quando opus fuerit, cæmentarii, aut alii huius generis.

Licet nouitii profeſſi ſint, non mittat eos Superior ſocios illorum fratrum, qui exeunt à Conuentu; verum ſi interdum contingat, vt ex cauſa neceſſaria quis ex nouitiis exire cogatur, cum eo proficiſcatur Magiſter, cum quo valetudinis conſeruandæ gratia, aliquando exeant ſimul omnes nouitii ad deambulandum; Frequentiam tamen perſonarũ tunc fugiant, neq; cũ aliis cõuerſari permittãtur.

Quando egrediuntur, vt eant in chorum, aut ad Refectorium, exeant ordinatim cum eodem Magiſtro, & reuertantur, & ſemper in quauis occaſione duo ſaltẽ nouitii ſimul ſint, nunquã vnus ſolus mittatur, aut reperiatur.

Cum nouitiis nemo abſque rationabili cauſa, & Superioris licentia audeat loqui, neque eis litteras mittere, aut aliquid nunciare, aut donare, & qui cõtrauenerit, pro prima vice profiteatur ſuam culpam, & faciat vnam diſciplinam in Refectorio, niſi tamẽ ex qualitate facti, & perſonarum, grauior pœna Superioris arbitrio ſit infligenda, vel mitior adhibenda. Pro ſecunda vice præter diſciplinã, & culpæ confeſſionem, maneat in carcere mẽſem vnum. Et pro tertia vice poſt publicam diſciplinam, & culpæ confeſſionem, per annum arctetur in carcere. Si amplius reperiatur reus, puniatur ſeueriſsimè, vt incorrigibilis, ſi pen-

ſata

ſata qualitate delicti, & perſonarum, id ita Superiori viſum fuerit.

De Magiſtro Nouitiorum. Caput VIII.

PAtres Diſtributores ſuper onus cōſcientiæ ſuæ, Nouitiis præficiāt Magiſtros ætate matura, vita, moribus, & obſeruantiis regularibus probatos, ſub quorum diſciplina ſint Nouitii per triennium. Ipſiq; Magiſtri neceſſaria nouitiis, ex licentia Prioris procurabūt, & officium ſuum cum omni charitate, & ſedulitate, adimplere ſtudebunt.

De habitu eorum, qui ſunt in probatione, & de indumentis laicalibus conſeruandis. Caput IX.

NOuitii, qui recipiuntur in probationem, ſic veſtiantur; Præter caligas, & femoralia, interulam laneam ſtamineam vocatam ſuper nudū induāt: ſuper quam tunicam interiorem habeant cinctā, & ſuper illam ſi tempus requirat, togam, quam vulgò dicunt pellandam. & per triennium ferant in pedibus calepodia, ideſt ſoccolos, & non niſi cum deſeruiunt altari, crepidis vtantur.

Indumenta laicalia ab ipſis depoſita, diligenter vſq; ad completam probationem cuſtodiantur, quæ ſi cōtigerit ali

quem nouitium ex vno in aliud Monaſterium transferri, etiam ipſa eò tranſportentur.

Cum autem nouitius profeſsionem emiſſurus eſt, prouideatur ei de tabarro, & veſtimenta ipſius laicalia cedãt Conuentui; ſi verò noluerit profiteri, ſed ad ſæculũ reuerti velit, aut tamquam inidoneus à profeſsione excludatur, reſtituantur ei omnia veſtimenta ſua, à filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ: quod ſi quis ex Prioribus, aut aliis fratribus occupauerit dicta veſtimenta, præter alias cõdignas pœnas, ipſe teneatur ad expenſas tabarri, vel veſtimentorum, & tamdiu priuetur veſtimentis, donec integrè Monaſterio ſatisfactum ſit pro huiuſmodi expenſis.

De iis, quibus nouitii ſunt inſtruendi. Caput X.

IN primis nouitii legis diuinæ præcepta de neceſſitate obſeruanda, & ſibi ad perfectionem perpetuò tẽdendum eſſe, doceantur. Obſeruantia Regulæ, & Conſtitutionum, teneræ mentes imbuantur. ex animis etiam, quæ apparent malæ affectiones, eradicentur.

In choro ante lectorile triennio ſtare, & chartas vertere, & extra chorum officiũ Beatæ Virginis, aut mortuorum, poſt refectionem pro temporis opportunitate, iuxta laudabilem conſuetudinem, dicere aſſueſcant.

Diſcant recitare Antiphonas, & officium diuinũ vnà cum aliis celebrare, cantanda in choro præuideant, altari

in

in Eccleſia, & menſæ in Refectorio deſeruiant.

Cantu Gregoriano, & humanitatis ſtudiis erudiãtur: libri ſpirituales eis opportuni tradantur, lectione quorum diſcant, quomodo ab omni intemperantia portæ ſenſuum ſunt cuſtodiendæ.

In ſero examinare quotidie conſciẽtias, & Diaboli calliditates, inſidiaſq; cognoſcere aſſueſiant.

Iuxta morem Cõgregationis, bis ſaltem in hebdomada, ſacramentalem confeſſionem faciant, & diebus ordinatis ſacram Communionem ſumant.

Vnicuique horæ actionem ſuam dare, & otium omnino fugere, inducat eos Magiſter.

Frugalitatẽ victus, & patientiam in rebus tolerandis amplecti, & ſingularitatem euitare, & in monaſteriis libentius morari, quam extra, inſtruat.

Ad mortificationem propriæ voluntatis omnino neceſſariam, & ad profitendam culpam quando errant, & ad abſoluendam æquo animo pœnitentiam impoſitam, eos exerceat.

Nullam ex traditionibus ſuperfluam eſſe, imò ſine earum obſeruantia, conatum eorum inanem futurum prædicet: ſine Magiſtro ſuo nihil agere: cum ſocio ſibi aſsignato per Monaſterium progredi: & extra Monaſteriũ abſq; ineuitabili neceſsitate non debere proficiſci.

Cum nemine abſq; Magiſtri permiſſu, & præſentia loqui: ſæculi nouitates fugere: demiſsis oculis ſtare, & incedere:

dere: non niſi cum ſociis nouitiis conuerſari: ſeruare ſilentium, & ſummiſſe, quando oportet, verba proferre. Cubitis in comedendo menſæ non inniti: non animaduertere, quæ dicat, aut faciat quiſq;: curioſitatem deuitare; aliorũ virtutes imitari: bona omnia à Deo cognoſcere: abſtinere ab indecenti riſu: deferre honorem omnibus, iuxta vniuſcuiuſq; ſtatum: aſsiſtere dignioribus: maiori cedere locum, eumq; ad dexteram collocare: complicatis manibus ante pectus incedere, & ſtare: pacis condimẽtum amare, quod præcipuè conſeruatur moderatione linguæ, & inuidiæ, ſuperbiæq; propulſatione, atque humilitatis vſu.

Quicquam non dicere meum, & tuum, neq; exiſtimare: veſtes detergere, lauare, & ſuere, cum opus eſt: cellam cuſtodire: pauimenta verrere, & humillima quæq; imperata non dedignari, ſed hilariter explere.

In his, & ſimilibus obſeruantiis regularibus, Magiſter nouitiorum perpetuò eos aſſuefaciat, vt ad perfectionis ſtatum per Dei gratiã ſemper aſpirent, atq; in dies proficiãt.

De animaduerſione in Nouitios delinquentes. Caput XI.

NOuitios in officio coercere, & quando opus fuerit pœnitentias eis imponere, ad ipſorum Magiſtrum, & ad Priorem pertinet.

Si quis verò ex nouitiis exiſtentibus in probatione diſciplinæ, valde reluctari reperitur, inobediẽs, & indiſciplina-

tus

tus exiſtens, Priori denuncietur, qui cum Magiſtro charitatiuè eum admoneat; & admonitum, & non ſe emendantem aliqua etiam ſeueriori punitione mulctet; qui ſi demum ſic punitus indiſciplinatus permanſerit, conuocatis Patribus Deputatis, & propalatis cauſis, ac diſcuſsis, detracto habitu Congregationis, ſi ita iudicabitur expedire, & propriis ſæculi veſtibus indutus, ſine ſpe reuerſionis, dimittatur.

At ſi Nouitius aliquis in probatione exiſtens ex fragilitate dimiſerit habitum, aut ex leuitate exierit, ſi pœnitens reſipuerit, ſpacioq; dierum quinq; à die egreſsionis ad ſupplicandum, vt recipiatur, redierit, conſideratis conſiderandis circa qualitatem facti, & nouitii, ita iudicātibus Deputatis cum aliqua condigna pœnitentia recipiatur, & receptus locum ſuæ præcedentiæ, & probationis incipiat à die reuerſionis.

Illi autem, qui emiſerunt profeſsionem in nouitiatibus exiſtentes, ſi delinquunt, iuxta delicti qualitatem mortificationibus, pœnitentiiſque, ac etiam carcere, ſi opus fuerit, compeſcantur arbitratu Superiorum.

De modo profitendi. Caput XII.

SVperiores, expleto probationis anno, nouitios habiles ad profeſsionem admittant, inhabiles verò iuxta Canonica decreta è Monaſteriis eiiciāt.

Congregatis igitur Deputatis, Rector examinet Magiſtrum

giſtrum Nouitiorum, qui Deum præ oculis habens, ſuper animam ſuam, poſtpoſitis particularibus affectibus, teſtimonium fidele proferat, cum omni veritate.

Deinde alios interroget ſuper honeſtate vitæ, aut quacumque alia re, ex qua poſſet inferri inhabilitas regulari vitæ. Et ipſe Rector vltimo loco dicat teſtimoniũ, prodatq; an aliquid offenſionis ſciat, communique ſẽtentia deliberent, quod expedit Congregationi.

Peracta examinatione, breui, & pia precatione præmiſſa, vt illuminentur tam ipſi, quam nouitius, ad deliberandum, & complectendum, quod beneplacitum eſt diuinæ Maieſtati, procedant; ac ſimul Prior, Magiſter, & Deputati reliqui, ſuffragiis ſecretis decernãt, an nouitius ad profeſſionem admittendus ſit, & ſi viſum fuerit vt admittatur, vocet eum Rector, & admoneat in hunc, qui ſequitur, modum. Dilecte in Chriſto fili, iam tẽpus tuæ probationis completum eſt, quo vidiſti, audiuiſti, & expertus es regularia ſodalitatis noſtræ inſtituta, quid vires tuæ va leant, quidve recuſent, iam experiẽtia cognoſcere potuiſti. Scire debes, ſic decernentibus ſacris ſanctionibus, tibi alterum è duobus eligere neceſſe eſſe, aut dimiſſo habitu, in quo in probatione vixiſti, egredi è ſodalitio, aut regularẽ profeſſionem trium votorum ſubſtantialium ſolenniter emittere, qua emiſſa non licebit amplius tibi quacumque ex cauſa excutere iugum è collo tuo; ſed ſemper dum vixeris, iure diuino obligatus eris, nemo enim mittens manũ ad aratrum

trum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Tui arbitrii es, liber nunc es, animaduerte quæſo fili quid agas, leuis enim non tractatur, ſed maximi admodum momenti cauſa: quoniam peracto ſolenniter voto, nullo modo pœnitere licet, ſed adimplere oportet, quod vouetur, decipi enim poſſunt homines, ſed Deus non irridetur, ſcrutator enim cordium eſt. Delibera ergo, quod tibi expedit.

Qui ſi dixerit ſe velle in Congregatione viuere, profeſſionemq; emittere, animumq; adimplendi, quæ ſpopõderit, habere: Rector repetat ei omnia impedimenta, quæ lecta, & dicta fuerunt, quando receptus fuit, & requirat ab eo, an aliquo eorum detineatur. Reſpondenti verò ſe nullo detineri, diſtinctè Superior declaret, quid tria vota ſubſtantialia contineant, dicatq; ei, ſi placet, ſequentia verba.

Licet crediderim ſæpenumero à tuo Magiſtro te eruditum, & tu quoque ipſe potuiſti ediſcere, quid tria vota ſubſtantialia contineant, attamen cupiens ne vnquam incœpti te pœniteat, vtq; inſtructus accedas, denuò te admoneo. Obedientiam eſſe fundamentum totius ædificii, qua conſtrictus eris obedire tuis Superioribus, ita vt nullam iudices te habere tuæ volũtatis facultatem, ſed omninò propria voluntate te eſſe priuatum, placitaq; tibi non valebis perficere, licet bona videantur, ſi voluntas tui Superioris reclamauerit.

Paupertatis votum te obligat, quòd aliquid non poteris habere proprii licet modicum, quod poſſis exiſtimare, & di-

& dicere hoc meum eſt; ſed ea, quæ tibi erunt conceſſa, voluntati tui Superioris ſubiecta erunt, qui poterit te priuare eis, quotieſcumque ſibi placuerit.

Caſtitatis verò votum te arctat ad cœlibatum, & continentiam, vt corpus tuum ab omni pollutione carnis cuſtodias. Quanto ergo magis animum à quacumque corruptione immunem ſeruare teneberis?

Præterea aliud genus veſtitus non poteris induere, niſi quo honeſtè vtitur ſodalitas vniuerſa, dumq́ue vixeris apud eam obligatus eris. Vide ergo, quid deliberes: tui arbitrii es: dic, quid deliberes. Reſpondentem velle profeſsionẽ emittere interroget Prior, an inductus metu, vel vi, id faciat: ſed reſpondenti neque metu, neque vi, verum vt Deo ſeruiat omnipotenti, iubeat, vt accedat ad Eccleſiam, qui comitante Magiſtro ante altare, vbi aſſeruatur ſanctiſsimum Domini Corpus, enixè oret, vt eius illuminet, aperiatq́; ſenſum ad complectendum, quod magis animæ expedit. Dumq́ue deprecatio offertur, pulſetur Capituli tintinnabulum, quo accedant omnes fratres Conuentus, eoq́; deferant tabarrum, & armucium; & finita pulſatione, euocatus in Capitulum nouitius cum Magiſtro ante Rectorem genuflectat, & à duobus fratribus inchoetur hymnus in cantu,

Veni Creator ſpiritus, & totus chorus proſequatur vſque ad finem. quo completo, Prior indutus ſuperpelliceo, & ſtola dicat; Pater noſter.

Ver. Et

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Verſ. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. Reſp. Et renouabis faciem terræ. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuũ, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Deinde benedicat veſtes: & ita proſequatur.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Reſp. Qui fecit cœlum, & terram. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, qui dixiſti, beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius, benedic ✠ hæc veſtimenta, quibus ſeruum tuũ N. hodie induere accingimur, & ſicut illis eius corpus velamus, ita tua gratia eum imbuas, vt omni turpitudine peccati remota, ſtolaq; innocentiæ indutus, poſt vitam hanc, multiplicato talentorum lucro, ad te ſecurus perueniat, qui viuis, & regnas, &c.

Reſp. Amen.

Aſpergantur veſtimenta aqua benedicta.
Acceptoque deinde tabarro, & induto nouitio dicat:
Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.
Oremus.

DEus, qui maiores noſtros caruleo habitu amictos à ſaeculi voluptatibus, in exigua admodum inſula, tibi deſeruire voluiſti, concede huic famulo tuo, illorum ueſtigia ſectanti, vt fœliciter perficere poſſit, quæ agenda proponit, quatenus tuæ maieſtati gratum exhibeat famulatum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecũ viuit, &c. Reſp. Amen.

Deinde Nouitius accipiat Regulã Beati Patris Auguſtini, & genuflectens ponat eam apertam ſuper genua Superioris ſedentis, & manus tenens ſuper eam iunctas in manibus Superioris dicat clarè, & apertè.

EGO N. FACIO PROFESSIONEM, & promitto Obedientiam, Caſtitatem, & Paupertatem Deo omnipotẽti, & tibi D. N. Rectori Conuentus Sancti N. vice D.N. Reuerendiſsimi Generalis Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, & ſucceſſorum eius, ſecundum Regulam Sancti Auguſtini, & Conſtitutiones dictæ Congregationis, dum vixero.

Deinde dicat Rector, Ego N. Prior Eccleſiæ Sancti N. vice, & nomine D.N. Reuerendiſsimi Generalis Congregationis

tionis Sancti Georgii in Alga Venetiarum, & ſucceſſorum eius, accipio te in filium profeſſum dictæ Congregationis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Completis iis, inchoetur à duobus cãtoribus. Te Deum laudamus, &c. & tota ſchola proſequatur vſque in finem; dumq; cantatur hymnus, Rector, & omnes gradatim recipiant nouitium ad oſculum pacis; completo hymno, & ceremoniis receptionis, aſpergat Rector nouitium aqua benedicta, & dicat: Pater noſter.

Verſ. Et ne nos inducas in tẽtationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Verſ. Immola Deo ſacrificium laudis. Reſp. Et redde altiſsimo vota tua. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui fragilitatẽ, & figmentum noſtrum agnoſcis, noſtrumq; velle, & perficere non à noſtris viribus, ſed à tua gratia prouenire, te ſupplices exoramus, vt aduerſus carnem, inſidiaſq; Diaboli ſuperandas, auxilium nobis præſtes, vt quæ nos promittere inſpiraſti, tua virtute adimplere valeamus. Per Dominum noſtrum, &c. Reſp. Amen.

Oremus.

COncede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium, vt qui ſanctæ Dei Genitricis memoriã agimus, interceſsionis eius auxilio a noſtris iniquitatibus reſurgamus.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente Beato Auguſtino Confeſſore tuo, atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum noſtrum, &c. Reſp. Amen.

Reſideat Rector, & breui ſermone, &, ſi videbitur, infraſcripto Nouitium roboret.

Poſteaquam placuit diuinæ Maieſtati, vt ſpretis mūdanis rebus, te hodie exhibueris Deo hoſtiam viuentē, ſanctam, Deo placentem, de tam immenſo beneficio age iugiter gratias Domino, qui pro caducis, & terrenis rebus paratus eſt donare te cœleſtibus, & ſempiternis: ſtude fili, ne vnquam ingratus tantæ vocationi exiſtas, non enim, qui incœpit, ſed qui perſeuerauerit vſq; in finē, hic ſaluus erit.

Reminiſcere obſecro, quòd ereptos de Aegyptiaca ſeruitute, & in deſerto poſitos cœleſti manna pauit Dominus, vt Angelico pane ſaturati homines eſcas, quas in Aegypto reliquerant, rurſus non appeterent: ex qua figura duo nobis indicantur; Vnum, ne optemus, quæ in Aegypto, hoc eſt in ſæculo reliquimus. Alterum, vt cœleſti manna nutriamur. In primis ergo cauere debemus, ne deſideremus, quæ non licent, neve affectus noſter reſpiciat retrò: ſed omni vanitate ſæculi, & curioſitate ſemota, feſtinemus ingredi in æternam requiem. Deinde, ne inedia fatigati deficiamus in via, cœleſti pabulo cum Magdalena ad pedes Domini Ieſu paſcamur. Id autem optimè fiet, ſi vitā, actiones, paſ-

ſionem, mortem, ac myſteria ſalutaria, quæ pro nobis operatus eſt in terris Dominus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, aſsiduè meditemur, ac iugiter memoria recolamus. Inde enim reficitur mens ſpiritali dulcedine, & interior homo noſter in Dei dilectione roboratur, vt nihil ex omnibus, quæ imperantur, tanquam difficile refugiat. His meditationibus communitus animus omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, & exclamat cũ Paulo. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? certus ſum, quia neque mors, neque vita, neq; Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Quoniam autem maligni ſpiritus iter noſtrum quaſi latrones obſident, & verendum eſt, ne nobis ſomno præoccupatis inimicus homo ſuperſeminet Zizania, vbi Dominus triticum ſeminauit; die, noctuq; vigilandũ eſt, & pugnandum cum antiquo ſerpente, ac viriliter eius ſuggeſtionibus reſiſtendum, ac vt fortiores contra illum ſimus, vireſq́ue ſubinde maiores acquiramus, confugendum eſt ſæpe ad ſacramentorum præſidia, quæ nobis ſauciis, & vulneratis piiſsimus Samaritanus infudit. Detegenda ſunt peccata noſtra frequenter Sacerdoti, & Medico animarum noſtrarum in ſacramentali Confeſsione: ſumenda eſt ſæpius

ſacro-

ſacroſancta, & viuifica Euchariſtia, quæ cor hominis cõfirmat, confortat, & lætificat: adhibẽdæ ſunt piæ precationes ad Deum, ad Beatam Virginem, ad Sanctos: aſſumenda ſunt ieiunia, abſtinentiæ, deuotiones de conſilio Patris ſpiritualis. Vnum illud perpetuò curandum eſt, ne in certamine torpeamus, ne ſomno, & ignauiæ nos dedamus. Audi fili Beatum Chryſoſtomum, quibus verbis te compellat, & inflammet. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta; conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce: pactum, quod ſpopondiſti, conditionem, qua acceſsiſti, militiam, cui nomen dediſti, & ne dubita, quia Dominus tecum erit ſemper, & Chriſtus ad ianuam ſtans te adiuuabit.

In Chriſti nomine, & fortitudine inimicos proſternes, ac legitimè certans victoriam reportabis. Eſto tu fidelis vſque ad mortem, & ipſe dabit tibi coronam vitæ.

Iis habitis, Prior in libro ad talem effectum deſtinato actum notabit profeſsionis emiſſæ hoc modo.

Anno Domini, &c. die, & menſe. N. Filius N. patria N. Baptizatus die, &c. in parochia Sancti N. cui nomen in Baptiſmo N. impoſitum fuit, nunc in ſodalitate N. vocatus, in manibus N. Prioris Monaſterii Sãcti N. trium votorum ſubſtantialium ſolennem emiſit profeſsionem, in ætate annorum, &c. coram omnibus fratribus Cõuentus. In quorum fidem Nouitius ſubſcribat, Ego N. emiſi, vt ſupra, profeſsionẽ. Rector cũ Deputatis ſubſcribat. Ego N.

Rector

Rector Conuentus Sancti N. admiſi, & recepi ad profeſſionem D. N. Ego N. Deputatus, fui præſens ſupradictæ profeſſioni emiſſæ per D. N.

De Clericis. Caput XIII.

Clerici, peracto triēnio, ex Nouitiatibus deducantur in Conuentus, & qui cognoſcuntur idonei ad ſtudium Logicæ, in Monaſterium Sancti Georgii in Braida Veronam tranſmittantur, ad quorum regimen, præter Priorem, aliquis etiam Venerabilis Sacerdos à Patribus Diſtributoribus aſsignetur, qui omni charitate, & ſtudio conſeruabit eos in diſciplina regulari, ſub cuius tutela, vel alterius in eius locum ſuffecti, iuxta opportunitatem loci, & temporis, erunt, donec promoti fuerint ad ſacerdotium. Atque hæc iuuentutis cuſtodia vbique in noſtris Monaſteriis habeatur, & Priores ſub onere conſcientiæ ſuæ eos ſub regularibus inſtitutis conſeruare ſatagant. Clerici verò ſibiipſis non deſint, ſed moribus, ſtudiis, & probitate procurent tendere ad perfectionem: & licet in ſacris ſint conſtituti, cum omni humilitate onera ſua conſueta expleant, ac in verrendis pauimentis, chartis ad lectorile vertendis, & aliis abiectis functionibus Conuentus obeundis, aſsidui ſint.

Cum à Patribus habiles ad ordines decernuntur, accedant ad promotionē eo anno, quo vocati fuerint, &, quando ſine cauſa renuunt ordinari præſcripto tempore, eo elapſo

pſo nunquàm amplius promoueri poſsint, niſi denuò in Capitulo, vel Diæta ex gratia habiles reddantur. Si quis ex clericis in deterius prolabi, & contra regularem diſciplinã (quod Deus auertat) inniti reperiatur, contineatur in officio diuerſis mortificationibus, videlicet cõfeſsione culpæ in Refectorio, & comeſtione in terra, priuatione partis cibi, & potus, & veſtimentorum, coertione intra ſepta Conuentus, & aliis ſeuerioribus caſtigationibus, ſi opus ſit.

De forma probandi Clericos ad ſacros ordines. Caput XIIII.

CLerici inhabiles ad ordines illi intelliguntur, qui non incumbunt ſtudiis litterarum, & qui immorigeri ſunt, aut à ſacris Canonibus reiiciuntur, rudes ſimiliter, de quibus nulla eſt ſpes, vt aliquando proficiant in litteris, ad claſſem conuerſorum transferantur abſque vlla ſpe in poſterum redeundi ad clericatũ; & qui in ſacris fuerint promoti, & ineruditi reperiũtur, nec ſtudio incumbunt, vt ignorantiam vincant, progredi vlterius ad ordines non permittantur; ſed officium clericorum exerceant. Habiles autem clerici deſcribantur à Priore vniuſcuiuſque Conuentus in ſyngrapha, & tempore Viſitationum vocentur ante Reuerendiſsimum Patrem Generalem, Viſitatores, & ipſum Priorem cum Deputatis Conuentus, diligenterq́; examinati ſuffragiis ſecretis demandentur. Illudq́; aduertendum eſt, quòd ad ſubdiaconatum

natum

natum promouendi ſaltem per quinquennium à die receptionis habitus Nouitiorum computãdum, qui ad Diaconatum per ſeptennium, & qui ad Presbyteratum per nouennium permanſiſſe debent in Congregatione. Facto autem ſcrutinio, eiiciantur quatuor Deputati, & numerentur fabæ à Reuerendiſsimo Generali, Viſitatoribus, & Priore, & vniuſcuiuſq; clerici nomen deſcribatur in ſcheda cum numero calculorum, quos reportauerit, ſiue in fauorem, ſiue in contrarium, & dicta ſcheda ſubſcribatur ab ipſis quatuor, qui fabas numerauerunt, ac deinde claudatur, & ſigilletur cum publico ſigillo Congregationis, & ſigillo Conuentus, ac antiquiori ex Viſitatoribus tradatur præſentanda poſtmodum in ſequenti Capitulo vel Diæta: res autem tota ſecretò, & fideliter conficiatur. Si quis verò contra præſcriptum, ad ſcrutinia clericos admiſerit, ſiue Reuerendiſsimus Generalis, ſiue alius ex reliquis, per annum Canonicatu priuetur. In iis autem ſcrutiniis faciendis illud etiam aduertendum eſt, ne inferiores in ſacris votum ferãt ſuper ordinandis ad ordines ſuperiores, verbi gratia Subdiaconi nõ ferant votum ſuper Diaconibus ordinandis, neque Diaconi ſuper Presbyteris.

Minores ordines conferantur arbitrio Rectoris, & Deputatorum.

Illi autem, qui ad ſacerdotiũ promoti fuerint, ſi eo anno, quo initiati ſunt, Miſſam dicere renuãt, eo elapſo, amplius nõ permittantur illam celebrare, niſi denuò obtinue-

rint licentiam à Capitulo, ſiue Diæta; ſed interim fungantur clericorum munere.

De Canonicis. Caput XV.

Canonici apud nos ſunt, quorum conſenſus requiritur in contractibus celebrandis, & qui eligere, & eligi poſſunt ad dignitates. Quiſque igitur clericus, qui, perſeuerauerit in ſodalitio annos ſex à die receptionis habitus Nouitiorum, & ex his ſex annum continuum adminiſtrauerit in ſacris, cooptatus in Canonicum intelligitur, licet alia electio non appareat.

Canonici vocati ad pertractandum aliquid à proprio Rectore, qui, poſtquam fuerint requiſiti, contumaciter recuſauerint accedere, niſi iuſtam excuſationem habeant, quam probauerit Rector, ob talem contumaciam ipſo facto priuantur per annum voce actiua, & paſsiua. Et pari pœna innodantur, qui introducti ad aliquid pertractandum, à collegio animo turbato egrediũtur, infecto negocio.

Quando euenit, vt aliquis Canonicus ab vno in alium Conuentum deſcribatur, ſtatim vt peruenerit ad locũ deſtinatum, intelligitur Canonicus illius Conuentus.

Quando verò occurrit, quod aliquis Canonicus abeſt à Diœceſi, & neceſsitas conſtringit fieri aliquam prouiſionẽ, deliberatio, ſtipulatio, vel electio perficiatur abſque illo abſente.

De

De Conuerſis. Caput XVI.

IN noſtra Congregatione Conuerſi appellantur illi, qui deſtinantur ſeruituti domus, deferuntque habitum forma diſtinctum à clericis, eorumq; vtraque veſtis, tam interior, quam ſuperior ſit coloris cærulei, & ita extenſa ad pedes, vt à terra eleuetur per octo digitos, interior quidem manicas habeat ſtrictas, quemadmodum tunicæ interiores Canonicorum, ſuperior verò ſit ſine manicis, neque nimis ſinuoſa. Recipiantur autem ex conſenſu Reuerendiſsimi Generalis, & Patrum Viſitatorum, non minoris ætatis, quam annorum viginti duorũ, neque maioris quam triginta, qui ſint bonæ famæ, & ex legitimis orti natalibus, & non grauati ære alieno. Iis interdictum eſt ſtudere Grammaticæ: ſed ex conceſsione Prioris poteſt permitti aliquis pius liber lingua vernacula conſcriptus.

Veſtis ſuperior, mantellum nuncupatum, non niſi ex octennio completo in octennium renouatur.

Qui ex profeſſo in cultura hortorum occupantur, aut piſtores, vel coqui, aut ruri degentes ſunt, poſſunt induere lineas interulas, ſi velint, carentes tamen omni elaborato ornamento, & ſimplices; quodſi elaboratas geſtauerint, ablatis interulis, pro pœna profiteantur ſuam culpam in Refectorio, & agant diſciplinam ſemel; reliqui non exercentes onera ſupradicta deferentes lineas interulas, per an-

num priuentur capite veſtimentorum, hoc eſt veſtimento magis principali.

Conuerſi pro Matutino, & Laudibus, triginta vicibus Pater noſter, & totidem Aue Maria:

Pro hora Veſpertina, xii. Pater noſter, & totidem Aue Maria:

Pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona ſeptem Pater noſter, & totidem Aue Maria, in ſingulas horas, genibus flexis ſemper recitent, præter tempus Paſchale, quo ſtantes recitent.

Pro quocumque ex fratribus decedente, per dies triginta, quotidie tenentur recitare triginta Pater noſter, & totidem Aue Maria.

Oblati ſunt, qui ſe, & ſua religionj obtulerunt, quorum genere nunc Congregatio noſtra caret. Gaudebãt hi quando aderant priuilegiis Conuerſorum.

De Præcedentia. Caput XVII.

ADmonet nos Chriſtus, Dominus noſter, vt cum vocati fuerimus ad nuptias, in nouiſſimo loco recumbamus. Et Princeps Apoſtolorũ Petrus inquit, omnes honorate, Fraternitatem diligite: & Paulus vas electionis, charitatem, ait, fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes. Debemus ergo diuina auctoritate inſtructi, quãtum poſſumus, humilitatem in omnibus ſemper ſectari, ita vt intimo cordis affectu re-

liquis fratribus, & hominibus, nos inferiores, & viliores eſſe credamus, iuxta eiuſdem Apoſtoli ſententiam, quæ inquit, in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Tanto enim (vt benè, & præclarè à Beato Gregorio dictũ eſt.) vnaquæque anima ſit pretioſior ante oculos Dei, quãto præ amore veritatis deſpectior fuerit ante oculos ſuos.

His tamen, quæ de humilitate dicta ſunt, nõ repugnat, quòd in Cõgregationibus virorum religioſorum, qui maximè humiles eſſe, & apparere debent, ordo aliquis præſcribatur, quo quiſnam prior, aut poſterior, tum in ſedendo, tũ in loquẽdo, tum in aliis actibus eſſe debeat, innoteſcat. Vbi enim ordo nõ eſſet, facilè oriretur cõfuſio; & tãta alioquin poſſet eſſe cõtentio de loco infimo, quanta de primo. Quare vt omnia cõgruenter, & ordinatè fiant in nobis, hæc de prælatione, ſeu præcedentia ſtatuenda cenſuimus.

Rector Generalis præcedat omnes noſtræ ſodalitatis.

Viſitatores in Conuentu Sancti Georgii in Alga, & Viſitationum tempore, aut cum egrediũtur ad aliquod munus iuris ſui obeundum, omnes Priores extra proprios Cõuentus exiſtentes præcedãt, & proprium etiam in proprio Conuentu, quando contra talem inquiſitiones exercent.

In reſidentiis propriis præponuntur Priores, neminiq; cedunt, præterquam Reuerendiſsimo Generali; extra proprias reſidentias præcedunt omnes præterquam Rectores proprios, aut eorum Vicarios, ipſis Rectoribus propriis abſentibus.

Priores

Priores inter ſe, Sacerdotes, & Clerici, alter alteri præfertur iuxta Prioritatem ingreſſus in ſodalitatem.

Conuerſi Clericis cedant, & inter ſe iuxta antiquitatem ingreſſus locum obtineant.

Vicarii extra proprios Conuentus nullam præcedentiã obtineant: ſed ſtabunt in locis ſuis, vt priuati fratres.

Priores aduenæ, Viſitatores, & qui obierunt dignitatem Generalatus (ne Patrum vileſcat auctoritas) cum egrediuntur domo, non genuflectant Vicariis, ſed ſimpliciter veniam petant.

Gubernatores Villarum, ſeu poſſeſſionum in locis, vbi degunt, nullam habent præcedentiam, niſi quam obtinent ob antiquitatem ingreſſus in Congregationem.

Patres, qui fuerunt Generales, præcedant omnes citra Vicarios in propriis reſidentiis. At ſi plures ſimul eiuſdem conditionis erunt, antiquior in Congregatione maiorem obtineat locum.

Conſtituti in ordine ſacro, quamuis circa præcedentiã alterationem efficiant (decet enim Subdiacono, licet poſteriori quo ad ingreſſum religionis, cedere eos, qui nondũ ſacris ſunt initiati, & ſimiliter Diacono Subdiaconum, & Diaconum Presbytero) attamen, vt erunt pares in ordine, vnuſquiſque ad locum ſui ingreſſus reuertatur. Hanc autem alterationem, quæ cauſa reuerentiæ ſacri Ordinis inducitur, nolumus alicui in electionibus præiudicium afferre.

De

De egreſsione,& comeſtione extra Monaſterium. Caput XVIII.

NEmo ex fratribus noſtris ſine licentia Rectoris, vel eo abſente, illius, qui ſupplet eius vices, egrediatur à Monaſterio, ſed quando aliquis cupit exire, cauſam egreſsionis Rectori indicabit, qui conſiderata qualitate cauſæ, vt videbitur expedire, cōcedet, aut negabit egrediendi facultatem. Conceſſa verò licentia alicui, ſocium aſsignabit, qui ambo genibus flexis accipiant benedictionem.

Egreſsi per ciuitatem, vel oppidum, ſemper ſimul ſint, & reuertentes in Monaſterium, antequam aliò diuertant, compareant coram Priore.

Extra Conuentum ſine ſocio, & tabarro eſſe non licet.

Qui abſque licentia exierit à Monaſterio, ſubiacebit pœnæ, quæ grauiſsimæ culpæ conuenit.

Qui verò ſocium aſsignatum recuſare auſus fuerit, per menſem non exeat à Conuentu.

Et qui cum ſocio obtinuit licentiam, & egreſſus remanſerit ſolus in domo cuiuſuis etiam conſanguinei, non communicata re, neque obtenta licentia à Superiore, per ſemeſtre tempus tabarro priuetur.

Nemo extra loca noſtra, niſi ex legitima cauſa, & licentia Superioris comedat; & qui cognoſcit ad horam comeſtionis opportunam, non poſſe reuerti, licentiam petat à Su-

Superiore, & cum ipſius bona venia reficiatur.

Cum aliquis è Monaſterio egreditur, vel equo, vel pedibus, nullo pacto audeat domos perſonarum ſæcularium, vel regularium introire, neq; per plateas, vel compita vagari; ſed recto tramite conficiat iter deſtinatum. Qui ſecus fecerit, pro pœna tres dies in carcere detruſus pane, & aqua ſuſtentetur.

At quando talis tranſgreſſor eſſet Prior, finito officio, iuxta qualitatem culpæ, longiori, vel breuiori tempore Canonicatu priuetur.

Nemo ex fratribus accedat ad profana ſpectacula, nemo per plateas publicas deambulet, niſi cauſa alicuius negotii neceſſarii, & petita venia à Superiore.

Priores Conuentuum, cum eis videbitur, vt conſulant bonæ valetudini ſuorum fratrum, mittant eos gregatim, conſtituto ipſis duce aliquo venerabili Patre, ad deambulandum, vbi hominum turba, & multitudo accolarum loci eos non impediat.

Feria V. ante Dominicã Quinquageſimæ, & ipſa Dominica cum duobus diebus ſequentibus, ſcilicet ſecunda, & tertia feria, ſub pœna comedendi in terra, & per ſemeſtre tempus manendi intra ſepta Conuentus, omnibus exire à Monaſterio interdictum eſt, præter Priorem, & Procuratorem vrgente neceſſitate; & pœnæ eidem ſubiaceat ille, qui dictis diebus dederit alicui licentiam exeundi.

De

De tranſlatione fratrum de vno, in alium locum. Caput XIX.

PVblicatis ſchedulis diſtributionum fratrũ per Conuentus in vnoquoque Monaſterio, Procurator cũ Prioris conſenſu, recedentibus iuxta taxationem itinerum de rebus neceſſariis honeſtè prouideat, vt poſsint accedere eò, vbi adſcripti ſunt.

Illis, qui à Venetorum Dominio Romam deſtinantur, viaticum detur vſque Venetias, exinde autem vſque Romam ſumptu Monaſterii S. Saluatoris de Lauro tranſferantur. Et præter deſtinatos Romam, omnes ſpacio dierum xv. à publicatione diſtributionum in ſingulis Cõuentibus facta, tenẽtur accedere ad loca aſsignata, & qui abſque legitima cauſa, & licentia obtenta nõ proficiſcuntur, profiteantur ſuam culpam in Refectorio, & comedant in terra, & per ſemeſtre tempus à ſeptis Conuentus nõ exeãt.

Qui Venetias ex quacunque cauſa proficiſcuntur, puniantur, niſi antequam eò perueniant, coram Superiore in Conuentu S. Georgii in Alga compareant.

Eis, qui eundo ad loca deſtinata præter neceſsitatem iter ſuum protulerint, vt fortè curioſitati, vel ſuperfluæ commoditati indulgeant, non admittantur a Conuentibus expenſæ.

Cum peregrinãtur fratres, ſi nõ niſi vnius diei iter agẽdum ſit, non diuerſentur in publicis hoſpitiis; ſed eò conten-

dant peruenire, quò deſtinati ſunt: cum verò longa itinera conficiunt, ac proinde ad publica hoſpitia neceſſario accedendum ſit, ſaltem inuigilent, vt accedant ad loca honeſta.

Quomodo liceat egredi à Diœceſi, & ad quæ loca abſque licentia non liceat accedere. Caput XX.

EXtra Diœceſim Conuentuum exire abſque licentia Reuerendiſſimi Patris Generalis, & Viſitatorum, & Prioris proprii cum Deputatis, fratribus omnibus, præter Priorem, & Procuratorē, prohibitum eſt ſub pœna profitendi ſuam culpam in Refectorio, comedendiq; ſemel in terra, & per annum manendi intra ſepta Conuentus.

Verum ſi Reuerendiſſimus Pater Generalis, & Viſitatores longè abeſſent, vt ad eos confugium haberi non poſſit, vices eorum tum ſuppleant Deputati in Conuentu ſancti Georgii in Alga.

At ſi exire à Diœceſi neceſſe ſit, & anguſtia tēporis non permittat ad prædictos Patres confugere, tunc proprius Rector cum Deputatis poſſit concedere licentiam.

Si quis, vt obtineat licentiam egrediendi, impoſturā fecerit, aut Deputati abſque legitima cauſa licentiam dederint, careant omnes Canonicatu per annum.

Hi, quibus permiſſum fuerit egredi à Diœceſi, tenentur ſpacio vnius menſis ad ſuam reſidentiam reuerti, qui ni

fecerint.

fecerint, per annum Canonicatu priuentur, niſi tamen ſuæ procraſtinationis probabilem cauſam à Viſitatoribus admittendam reddiderint.

Ad aliud Monaſterium Congregationis noſtræ in eadem Diœceſi poſitum, abſque licentia proprii Prioris, & Deputatorum, ſub remotionis pœna à Canonicatu per annum, tàm concedenti, quàm obtinenti licentiā infligenda, accedere non liceat. In duobus Monaſteriis exiſtentibus Venetiis, Veronæ, & Vincentiæ, abſq; vlla pœna, alterutrinque via patet.

Cum datur licentia à Superiore fratribus, vt ſe conferant ad Villas proprii Conuentus, tunc nō permittitur eis accedere ad loca aliorum Monaſteriorum, quamuis ſint poſita in eadem Diœceſi, vt ibi plus vno die morentur, ſed in ſuis ſe contineant locis.

Qui autem in alienis plus vno die, ſ. artificiali moram traxerint, priuentur Canonicatu per annum, non Canonici verò arbitrio Superiorum puniantur.

De cuſtodia ſcripturis adhibenda. Caput XXI.

SCripturæ omnes ad vnumquodque Monaſteriū pertinentes, veluti erectiones locorum, Priuilegia, Tituli, Bullæ, Gratiæ, Breuia Apoſtolica, acquiſitionum, poſſeſſionum, emptionū, locationumq; inſtrumenta, litium proceſſus, & alia huiuſmodi in accommodatis repoſitoriis Archiuii in quolibet Monaſterio cu-

dant peruenire, quò deſtinati ſunt: cum verò longa itinera conficiunt, ac proinde ad publica hoſpitia neceſſario accedendum ſit, ſaltem inuigilent, vt accedant ad loca honeſta.

Quomodo liceat egredi à Diœceſi, & ad quæ loca abſque licentia non liceat accedere.

Caput XX.

EXtra Diœceſim Conuentuum exire abſque licentia Reuerendiſsimi Patris Generalis, & Viſitatorum, & Prioris proprii cum Deputatis, fratribus omnibus, præter Priorem, & Procuratorē, prohibitum eſt ſub pœna profitendi ſuam culpam in Refectorio, comedendiq; ſemel in terra; & per annum manendi intra ſepta Conuentus.

Verum ſi Reuerendiſsimus Pater Generalis, & Viſitatores longè abeſſent, vt ad eos confugium haberi non poſſit, vices eorum tum ſuppleant Deputati in Conuentu ſancti Georgii in Alga.

At ſi exire à Diœceſi neceſſe ſit, & anguſtia tēporis non permittat ad prædictos Patres confugere, tunc proprius Rector cum Deputatis poſſit concedere licentiam.

Si quis, vt obtineat licentiam egrediendi, impoſturā fecerit, aut Deputati abſque legitima cauſa licentiam dederint, careant omnes Canonicatu per annum.

Hi, quibus permiſſum fuerit egredi à Diœceſi, tenentur ſpacio vnius menſis ad ſuam reſidentiam reuerti, qui ni

fecerint.

fecerint, per annum Canonicatu priuentur, niſi tamen ſuæ procraſtinationis probabilem cauſam à Viſitatoribus admittendam reddiderint.

Ad aliud Monaſterium Congregationis noſtræ in eadem Diœceſi poſitum, abſque licentia proprii Prioris, & Deputatorum, ſub remotionis pœna à Canonicatu per annum, tàm concedenti, quàm obtinenti licentiã infligenda, accedere non liceat. In duobus Monaſteriis exiſtentibus Venetiis, Veronæ, & Vincentiæ, abſq; vlla pœna, alterutrinque via patet.

Cum datur licentia à Superiore fratribus, vt ſe conferant ad Villas proprii Conuentus, tunc nõ permittitur eis accedere ad loca aliorum Monaſteriorum, quamuis ſint poſita in eadem Diœceſi, vt ibi plus vno die morentur, ſed in ſuis ſe contineant locis.

Qui autem in alienis plus vno die, ſ. artificiali moram traxerint, priuentur Canonicatu per annum, non Canonici verò arbitrio Superiorum puniantur.

De cuſtodia ſcripturis adhibenda. Caput XXI.

Scripturæ omnes ad vnumquodque Monaſteriũ pertinentes, veluti erectiones locorum, Priuilegia, Tituli, Bullæ, Gratiæ, Breuia Apoſtolica, acquiſitionum, poſſeſsionum, emptionũ, locationumq́; inſtrumenta, litium proceſſus, & alia huiuſmodi in accommodatis repoſitoriis Archiuii in quolibet Monaſterio cu-

ſtodiantur . Omniumq́; ſupradictarum ſcripturarum Inuentaria Romam ſucceſsiuè tranſmittantur, collocanda in Archiuio deputato in Monaſterio ſancti Saluatoris de Lauro, iuxta formam Breuis ſanctiſsimi D. N. Sixti Papæ V.

Archiuium autem ſit nō tignis, aut tabulis compactũ, ſed calce, & lateribus fornicatum, habeatq́; oſtium ferratum, clauibuſq́; tribus munitum, feneſtras clathris ferreis, laminiſq́ue vallatas.

In ſingulis Archiuiis ſit copioſum omnium ſcripturarũ Inuentarium, cui ſemper recentes addantur.

Inſtrumentorum, quæ in dies fieri cōtigerit, exempla autentica transferri in Archiuium, ſeruariq́; procurabunt Priores, quibus negligentibus annorum duorum pœna priuationis Canonicatus decernitur.

Adhibeatur ſtudium, vt illic omnia conſeruentur illæſa, & non niſi ex ineuitabili cauſa inde ſcriptura aliqua tranſportetur, & translata citiſsimè reſtitui procuretur: & ob hanc cauſam, ibi ſit libellus, in quo, quando ſcriptura aliqua aufertur, quo die, menſe, anno, per quem, & ob quam cauſam ablata fuerit, ſcribatur, in eoque reſtitutio facta ſimiliter annotetur.

Clauem vnam Prior cuſtodiat; ſecundam Deputatus ſenior; tertiam Procurator, neque vnus ſolus ſine aliis ingredi poſsit in Archiuium.

In Archiuio ſancti Georgii in Alga, præter priuatas ſcriptu-

ſcripturas Conuentus, tutò aſſeruentur etiam collationes omnium Conuentuum, & locorum, & priuilegia Congregationis: Cuius primam clauem teneat Reuerendiſſimus Pater Generalis, ſecundam antiquior Viſitator, tertiam Procurator, & quando contingat eos abeſſe in Viſitationibus obeundis, Reuerendiſſimus Pater Generalis ſuam clauem Vicario, Pater verò Viſitator ſeniori Deputato conſignent.

De alienatione, aut permutatione bonorum ſtabilium. Caput XXII.

Bona ſtabilia, & feuda Conuentuum noſtrorum nullo modo alienentur, aut permutentur ſine legitima cauſa, & generalis Capituli licentia, & placito ſedis Apoſtolicæ. Quæ etiam cum ſint vtilia contractu emphyteotico cenſuali, vel feudali, non obligentur, neque pro cenſibus commutentur.

Quando tamen ſe offert permutatio alicui Conuentui, quæ cognoſcitur paritura vtilitatem, & commoditatem maiorem Eccleſiæ, tunc ex bonis, & cenſibus, minus vtilibus, alienare, & permutare vſque ad ſortem ducentorum ducatorum, vnumquodq; collegium cum cognitione, & permiſſione Patrum Viſitatorũ poterit, ſeruatis ſeruãdis.

Sed antequam fiat alienatio, aut permutatio, diſcutiatur prius cauſa in Capitulo Cõuentus, ad quem ſpectat; & accuratè diſcuſſa, & conſiderata, aliqui ex fratribus peritioribus,

tioribus, & magis probis deligantur, qui ſuper animas ipſorum omni diligentia inueſtigent, & conſiderent, an talis alienatio, aut permutatio expediat, & ſit in euidētem vtilitatem Eccleſiæ, omniſq; cautela debita adhibeatur.

Illudq; caueatur, ne in fauorem conſanguineorum alicuius ex Canonicis, vlla fiat alienatio, ſeu permutatio bonorum Monaſterii, niſi licentia particularis ſuper hoc in generali Capitulo obtenta ſit.

Qui autem ſecus fecerint, præter pœnas à iure conſtitutas, & præterquam quòd alienatio, aut permutatio ex lege Canonica, & vi priuilegiorum noſtrorum nulla eſt, careant biennio voce actiua, & paſsiua.

Pari pœna innodantur conſtituentes ad talia ſolũ vnũ Procuratorem, minus enim quam duobus ex fratribus, non poteſt fieri mandatum, qui concordes agere debent.

Similiter, qui ſolus ſuſcipit negotium ad talem alienationem, aut permutationem, eidem ſubiaceat pœnæ.

De locationibus. Caput XXIII.

P*Riores cum Deputatis de triennio in triennium renouent locationes poſſeſsionum, agrorum, Domorum, bonorumq; omnium Cõuentuum ſuorum, & in locando adiiciant, aut diminuant iuxta congruentiam aliquid ſaltem minimum, vt appareat perpetuò libertas poſſeſsionis bonorum Eccleſiæ; ne ipſorum negligentia in ſeruitutem cenſualem tranſeant.*

Facto

Facto contractu, & tempore præfixo non finito, abſque legitima cauſa, conductores, aut coloni non remoueantur, & quando adeſt cauſa, ea cognoſcatur à Patribus Viſitatoribus: & qui aliter colonos remouerit, per annum careat Canonicatu.

Si fiat locatio anticipatis ſolutionibus, nunquam fiat in præiudicium officialium ſuccedentiũ, Rectorũ, ſcilicet, & aliorũ; & tranſgreſſor Canonicatu annis tribus priuetur.

Locationes bonorum alicuius Monaſterii, quæ ad vſum fructum alii Conuentui conceſſa ſunt, fiant à Deputatis Conuentus directi dominii, vt ſemper cuius Eccleſiæ ſint, cognoſcantur.

Qui ſecus fecerit, ſubiacebit per annum priuationi Canonicatus.

Bona Conuentuum noſtræ Congregationis videlicet poſſeſſiones, Domus, & ſimilia, non locentur conſanguineis, ſeu affinibus Fratrum noſtrorum, aut mulieribus inhoneſtis, ſub pœna priuationis officiorum ſtatim infligenda tranſgreſſoribus.

De Inuentariis, & mulcta negligentium officialium. Caput XXIIII.

IN vnoquoque Cœnobio noſtræ ſodalitatis, bina Inuentariorum exemplaria, ſemper conſeruentur; alterum generale omnium rerum, quæ ſunt in Sacriſtia, Dormitorio, Hoſpitio, Penario, & aliis locis Conuen-

Cõuentus, & Villarum apud Priorem; alterum verò particulare vniuſcuiuſq; ſupellectilis, apud particularem, & proprium Officialem.

Poſt Paſcha Reſurrectionis Domini, nouum Inuentarium cum exemplari veteris tranſmittatur ad Patres Correctores in Conuentum ſancti Georgii in Alga: & abſoluto Capitulo generali, vel Diata, eadem remittãtur ad proprium Conuentum, vbi antequam diſcedant fratres aliò deſtinati, reuideant Priores, an reipſa reperiãtur omnia in ipſis notata, qui ſi negligentes fuerint in Inuentariis conficiendis, ſeu reuiſendis, vno anno careãt Canonicatu.

Si quid ex rebus in Inuentario comprahẽſis amittitur, ſedulò procuretur, vt inueniatur: quando autem amiſsio fuerit ex negligentia cuſtodis, vel alterius, fiat redintegratio Monaſterio ex illa portione veſtimentorum, quæ decernenda erat illi, cuius culpa res amiſſa eſt. At quando dubium eſt, an cuſtos, vel alius ſit in culpa nec ne, tum Viſitatores iudicent, quod iuri conſentaneum viſum fuerit.

De conſtructione ædificiorum. Caput XXV.

SI Monaſterium ab ære alieno immune ſit, poteſt Prior fabricam conſtruere vſq; ad ſummã ducatorum quinquaginta, & ex conſenſu Patrum Deputatorum vſque ad ducentorum ſummam.

Quan-

Quando autẽ contrahitur, vel fabricando, vel aliquid emendo, æs alienum, tunc Prior, & Procurator deponantur ab officio, & à ſuffragiis dandis in Capitulo, vel Diæta arceantur, & debitum ſoluatur à Conuentu illo, in cuius vtilitatem facta eſt fabrica, vel emptio, neque in publicis taxationibus totius Congregationis ponatur.

Noua ædificia conſtruere in præiudicium ſucceſſorum, ſub priuatione Canonicatus per annum, & aliis pœnis arbitrio Patrum Nouem, ſeu Vndecim infligendis, cuique prohibitum eſt.

Et ſub eadem priuationis Canonicatus pœna, remouere incœpta ab inchoata forma, abſque licentia Viſitatorum non licet.

Fabricas excedentes ſummam Ducatorum ducentorum non poſſunt Officiales inchoare, abſque licentia Patrum Viſitatorum, & Deputatorum Conuentus.

Et quando quis incœpit ædificium, neque abſoluit tempore ſui regiminis, finito officio, deſiſtat ipſe, & ſucceſſor onus ſubeat ædificandi, niſi aliud à Capitulo generali caueatur.

Si quis ex particularibus pecuniis, non ex Monaſterii reditibus voluerit aliquam fabricam conſtruere in locis noſtræ Congregationis, à Deputatis Conuentus probata re, permittatur.

Quando ex reditibus Monaſterii alicui damno imminenti occurri non poteſt, aut aliqua euidens vtili-

tas ob reditu um tenuitatem omittenda eſt; tunc Patres Viſitatores certiores facti, re benè perſpecta decernant, quid agendum ſit, & ſi videbitur, ex publicis taxationibus immi-nenti neceſſitati, aut euiden-ti vtilitati ſuccur-ratur.

CON-

CONSTITVTIONVM CANONICORVM CONGREGAtionis S. Georgii in Alga Venetiarum.

DISTINCTIO TERTIA.

De Rectore generali, & aliis Rectoribus. Caput I.

RECTORI generali omnis obſeruantia, & obedientia præbeatur, illiq;, & aliis Rectoribus noſtrorum Conuentuum ea reuerentiæ qualitas præſtetur, quæ nemini alii defertur niſi Vicariis, cum abſunt Rectores ipſi.

Omnes autem Rectores, tàm Generalis, quàm reliqui, in habitu, victu, & cæteris ſint omninò ſimiles cum aliis fratribus Canonicis, omnemque ſingularitatem in vnaquaque re deuitent.

Ex leui cauſa non exeant à Monaſterio, quod conſciẽtiæ, & prudentiæ eorum committitur; & cum eos egredi contigerit, Vicarios faciant certiores, qui tunc non exibũt abſque vrgente cauſa, Deputatorumq; cognitione.

Tam in ſpiritualibus, quam temporalibus rebus, abſq; Deputatorum aſſenſu aliquid momenti non immutabũt.

Cumq; habitudines, & naturæ illorum, qui ſe dedicãt religioni, variæ ſint, & diuerſæ, & magis vni, quàm alte-

ri tribuere opus ſit, Rectoribus conſiderare accuratè conuenit illud, quo quiſq; indigeat, vt omnibus iuxta neceſſitatem tam victus, quam veſtitus, & aliarum rerum neceſſariarum, prouideri procurent.

De Reuerendiſsimo Generali, & Viſitatoribus. Caput II.

IN obeundo munere viſitationum parem habet auctoritatem Reuerendiſsimus Generalis, & Viſitatores, qui totum corpus Cõgregationis ſaltem ſemel in anno viſitare tenentur.

Monaſteria, quæ ſunt in Dominio Venetorum ſimul omnes viſitent, Rector ſcilicet Generalis, qui eſt ſummus Viſitator, & Caput, & alii duo Viſitatores. Reliquos tres Conuentus, qui ſunt in Ditione ſanctiſsimi D. Papæ, & ſingula membra ſancti Saluatoris de Lauro viſitet Generalis Rector cum alterò Viſitatorum, vel primo, ſi ipſe primus Viſitator velit, vel ſecundo, & alter Viſitatorum remaneat in Conuentu ſancti Georgii in Alga loco Rectoris generalis.

Quando in viſitationibus, quæ fiunt extra Dominium Venetum, aliquem ex calculatoribus ſecum nõ habent Viſitatores, ipſi ratiocinia inſpiciant, Diurnorumq; rationes ſubducant, & cõcludant, iuxta præſcriptum declaratum in capite de Calculatoribus generalibus infra Cap. xxv. huius Diſtinctionis.

Cum

Cum autem Reuerendiſsimus Pater Generalis præpe ditur aliqua legitima cauſa, vt ad viſitandum non poſsit egredi, tunc collegium ſancti Georgii in Alga eligat aliquē venerandum Sacerdotem in Viſitatorem, qui vices ipſius ſuppleat, & inter omnes Viſitatores antiquior in Congregatione præcedat.

Reuerendiſsimus Pater Generalis, & Viſitatores diſcedentes viſitationum gratia à Conuentu ſancti Georgii in Alga, conſtituant aliquem dignum Patrem in Vicarium, qui, dum ipſi abſunt, Conuentum regat.

At eueniente aliqua occaſione ineuitabili, ob quam ſupradicti Viſitatores non poſsint ſe conferre Romam, per litteras imponant Priori ſancti Saluatoris, & Deputatis, vt congregatis Canonicis reſidentibus, per ſcrutinia ſecreta deligant duos Viſitatores, qui eandem authoritatē obtineant tam in membra, quam in caput in examinando, in ſubducendis rationibus, & terminandis, & in prouidēdo, quam habent ipſi Viſitatores generales. Inuentam tamen aliquam rem momenti denuncient Reuerendiſsimo Generali, & Viſitatoribus ordinariis.

Huiuſmodiq; Viſitatores particulariter electi, viſitato Conuentu, accedant ad viſitanda annexa membra Monaſterii. Quæ omnia obſeruari in aliis etiam Conuentibus debent, cum ad illos accedere ordinarii Viſitatores non poſſunt.

Quo-

Quomodo ſe gerere debent Viſitatores in viſitando. Caput III.

CVm peruenerint Viſitatores ad aliquem locum Congregationis noſtræ, primum accedant in Eccleſiam ad adorandum ſanctiſsimum D. N. Ieſu Chriſti corpus, opportuneq́; muneri ſuo volentes initiū dare, comitantibus Sacerdotibus, & clericis familiæ, inſpiciant, an illud decenti loco, & debitis luminaribus cuſtodiatur, deinde viſitent reliquias Sanctorum, oleum infirmorum, Eccleſiam, Altaria, & Cœmeterium, an omnia cum reuerentia debita conſeruentur, & teneantur.

Quo peracto, accipiant ſyngrapham à cuſtode Hoſpitii, in qua nomina fratrum familiæ ſunt notata, & ad examinationem ſingulorum ipſi ſoli Viſitatores deueniāt, hortantes eos ad veritatem ſincerè dicendam, ne ipſis imputetur, ſi morbi propter eorum ſilentium incogniti, & latentes curari non poſſunt, admoneantq́; eos, quòd tam examinantes, quàm examinati tenentur ad ſeruandum ſub ſecreto, quicquid quod ſecretum requirit, inter ipſos tranſactum fuerit; dent etiam operam, vt beneuolos ſe exhibeant omnibus, ne alicuius mētem ſubeat ſuſpicio, quòd ob ſiniſtras informationes minus hilares vultus ipſis oſtendant.

Caueant tamen ne dum ſubditos conſolari volunt, illos debiliores in obedientia, & reuerentia erga ſuos immediatos Superiores reddant.

Non

Non facilè credant, non tamen renuant, ſed procurent prudenter veritatem ſcire, in cuius inueſtigatione attendant præcipuè qualitatem dicentis, quo ſine moueatur, an odio, ira, Zelo, & cætera huiuſmodi.

De iis, ſuper quibus interrogare debent Viſitatores. Caput IIII.

IN primis inquirant Viſitatores ab vnoquoque fratrum, an ſciat aliquem eſſe in Conuentu, ex familia, aut quemquam exterum verſari cum aliquo in Cōuentu, qui ſit ſuſpectus de fide, & male ſentiat.

An ſciat aliquem habere libros ſuſpectos de hæreſi, vel prohibitos, vel ſcandaloſos.

An Miſſæ debitis horis, & iuxta obligationes piorum relictorum celebrentur.

An debito modo horæ Canonicæ diſtinctè, & dilucidè recitentur, & quando oportet cantentur.

An conueniant omnes ad officium diuinum, an aliqui ex negligentia deſiſtant, & quàm frequenter.

An officiales ſtudioſè partes ſuas perficiant.

An bona Monaſterii accuratè, & fideliter tractentur.

An ratiocinia expenſarum, & redituum ſuis temporibus, & ab iis, qui id facere debent, inſpiciantur.

An Prior, aut Procurator, & reliqui miniſtri ſint fideles Conuentui.

An

An bona mobilia, vel immobilia ſuis cõſanguineis, aut aliis indebitè contribuant.

An quicquam ex reditibus, vel aliqua re Conuentus quiſquam ſibi appropriet.

An fiant reparationes neceſſariæ in Monaſterio, & in domibus eius.

An cultiuationes poſſeſsionum bene ſuccedant.

An apparatus diuino cultui neceſſarius debita in quã-titate, qualitate, & munditia cuſtodiatur, & an iuxta poſsibilitatem reparetur.

An Rector corrigat defectus fratrum occurrentes.

An exhortationibus, & ſermonibus, diebus competentibus, ſatisfaciat officio ſuo in Capitulo.

An ſubditi ad Capitulum accedant, quomodo obediãt: quomodo reuerentia vnicuique ſtatui, & cõgruentia perſonarum præſtetur.

An arceantur à Conuentu laici otioſi, qui ludis, aut nugis, aut aliis indebitis actionibus ſolent cœnobitarum ordines, & mores corrumpere.

An infirmis, & ſenibus in ætate graui neceſſaria prouideantur.

An laborantes infirmitate à Patribus viſitentur, an conſolatione, & ſacramentis debitis confoueantur.

An dormiant omnes in Dormitorio.

An iuuenes poſt ſignum tintinnabuli noctu vagentur per Monaſterium ex leui cauſa.

An fratres vacent nugis, aut diſſolutionibus.

An omnes debito tempore conueniant ad commune Refectorium.

An tolerentur ſingularitates victus, abſque legitima cauſa, & an id frequenter contingat.

An familiaritatem alicuius perſonæ, ſeu maris, ſeu fœminæ, intus vel extra ſuſpectam aliquis habeat.

An furtim die, vel nocte ſciat egredi quemquam à Cõuentu, vel in Conuentum ingredi.

An ab aliquo audiuerit ſcandalum dari exteris à noſtris fratribus.

An nimia indulgentia Rector ſubditos ſuos per ciuitatem, aut oppidum, abſque cauſa legitima, permittat circumcurſare.

An in ſtudio bonarum litterarum, & in timore Domini contineatur iuuentus.

An deſint Magiſtri.

Qui nam ediſcant, & qui non.

An debitis horis, & locis ſilentium ſeruetur.

An ludis illicitis quiſquam operam det.

An otio in Conuentu vacent fratres.

An ieiunia obſeruent.

An conuiciis inter ſe certent.

An obſcœnitates loquantur.

An inſtrumenta, iura, priuilegia Monaſterii bene cuſtodiantur.

An quod ordinatum fuit, aut præceptum à Capitulo generali, vel à Patribus, obſeruatum ſit.

An quæ anterioribus viſitationibus præcepta fuerunt ſint perfecta.

Viſitent perſonaliter ſacrarium, & apparatũ eius inſpiciant, & quæ neceſſaria videbuntur reparari, aut de nouo fieri, præcipiant.

Viſitent cellas, & inſpiciant libros an ſint inhoneſti, vel ex contentis in Indice librorum prohibitorũ, & remoueãt omnia indecentia regulari ſtatui: videant an ſtragula lanea, culcitræ tomenticiæ, ſindones, & alia opportuna habeantur, & prouideri faciant ſi deſint.

Exactè procurent ſcire, an adſint qui habeant habitus laicales, an arma intus habeãt, vel extra p̃ itinera ferãt.

An lineis interulis vtantur.

Si quem ſcandaloſum repererint, remoueant ab illo loco, ne peſtis, quæ alios inficere poteſt, vlterius ſerpat.

Si quid faciendum Superioribus, aut ſubditis, aut emẽdandum decreuerint, id ſcriptis tradant.

De renuentium dicere veritatem, & nolentium iurare, pœna. Caput V.

PAtribus Viſitatoribus, Deputatis, aut Diffinitoribus requirentibus ſuper aliquam rem, vnuſquiſque fratrum ſinceram veritatem dicat, & ſi quis requiſitus eam dicere renuerit, aut in mendacio deprahen-

prahenſus fuerit, puniatur ita, vt aliis ſit in exemplum: qui autem iuramentum ſibi delatum recuſauerit (dummodo non ſit in cauſa propria) per annum priuetur voce actiua & paſsiua, non Canonicus autem per idem tempus tabarro ſpolietur, & frater Conuerſus omnibus ſextis feriis per trimeſtre tempus comedat in terra.

Quem tamen puniendi modum in rebus grauioribus, & magni ponderis non ſufficere decernimus, ſed Patres pro arbitrio compellant iurare, & teſtificari modis, & remediis à iure permiſsis, illos, quos teſtes ad probationem rerum pertinentes nouerint.

De exactione taxationum. Caput VI.

Reuerendiſsimus Pater Generalis cum Viſitatoribus exigat à Conuentibus taxationes vulgò taxas, deinde ex illis re ipſa ſoluat æs alienum contractum pro victu, & veſtitu fratrum, cui ſoluendum eſt, nomine miniſtrorum, & locorum, quibus fuerunt aſsignatæ taxationes ipſæ à Capitulo generali, vel Diæta.

Prioribus, aut Procuratoribus, qui aliis ſoluunt taxationes abſque licentia Viſitatorum, pœna priuationis Canonicatus per annum conſtituta eſt.

De ſumptu ſoluendo Patribus Viſitatoribus. Caput VII.

Sicut præcauere debent Viſitatores, ne per eos ex nimio Comitatu indebitis oneribus Monaſteria grauentur, ita etiam Conuentus viſitationum ſumptus moderatos, & conuenientes libenter tolerare oportet. Itaque vt poſsint Patres viſitare Monaſteria, & loca Congregationis, Conuentus ſancti Georgii in Braida duos equos alat, & famulum præparatum habeat ad ipſorum beneplacitum, & quotannis ſoluat aureos ſex.

Sancti Petri Oliueti Monaſterium equum vnum, & famulum vnum, & aureos ſex contribuat.

Sanctorum Firmi, & Ruſtici Cœnobium equum vnũ & aureos ſex, & S. Iacobi Monſcilicis alterũ equum det.

Animaduertant illi, qui equos dare tenentur, vt præſtent eos, ephippiis, & neceſſariis Phaleris ſtratos, forma, & qualitate aptos itineribus, & perſonis, alioquin inepti equi reiicientur, & diſpendio negligentium cõparabũtur.

Conuentus ſancti Saluatoris de Lauro, ſoluat aureos triginta.

Gubernator ſancti Benedicti de Gabiano aureos ſex.

Miniſter ſancti Antonii in Parignano aureos ſex.

Sancti Gregorii Bononiæ, & ſancti Iuliani Arimini Procuratores, ſinguli eorum aureos ſex.

Expenſas autem excedentes præſcriptam ſummam

expleat

expleat Conuentus ſancti Georgii in Alga.

Extra tempus Viſitationũ, ſi euenerit ad aliquod Monaſterium extraordinarie proficiſci debere vnum, aut plures ex Viſitatoribus, ob incidẽtem aliquam cauſam, ſumptus itineris, & procurationem ſoluat Monaſteriũ illud, ad quod Viſitatores accedunt.

De ſententiis, & correctione malefactorum, & de pœna diſsimulantium crimina. Caput VIII.

REuerendiſsimus Pater Generalis, & Viſitatores cum viſitant, rebus Congregationis opportunè conſulant, & ea, quæ digna ſunt emendatione, & poſſunt emendare, & corrigere, corrigãt, & emẽdẽt.

Circa ea verò, quæ maiori indigent conſideratione, & ſeueriorem punitionem requirunt, adhibeant diligentem indaginem, ac proceſſus conficiant, & ſuis loco, & tempore auditis, atque examinatis Reis, & peractis peragẽdis, ſua ipſorum trium ſententia cauſas diffiniant, & ſententias à ſe latas, & publicatas, debitæ executioni mandent: aduertãt tamen, quod ea, quæ in proceſſu habentur, & ſecretò tenenda ſunt, aliis nõ propalent, alioquin incurrant pœnam priuationis Canonicatus per annum, & etiam periurii, ſi iurauerunt, vt moris eſt, tenere ſecretum.

Cum autem diſsimulari crimina neque poſsint, neque ob bonum publicum debeant, Patres Viſitatores negligentes inquirere, cum diffamatio proclamat, vel cum delicta

per ſe

per ſe notoria ſunt, aut conſtant, aut denunciatione, vel querela ſunt delata, ſiue renuentes caſtigare reos, aut ſaltem inquiſitiones factas contra Reos, cum ſe abdicāt magiſtratu, ſucceſſoribus non tradentes, ſed ſilentes, ipſi tamquam fautores malorum puniantur.

De Vicariis. Caput IX.

Vicariorum, qui etiam appellantur Vicepriores, munus principale eſt agere, & ſupplere vices Priorum, in ipſorum abſentia.

Non poſſunt eligi ad hoc officium, niſi permanſerint in ſodalitate annos duodecim, qui ſint ſacerdotes, & annos tres completos celebrauerint.

Officium eorum durat vſq; dum noui Rectores accedunt ad Conuentum.

Excuſantur autem Vicarii à lectione menſæ, licet non compleuerint tempus vigintiquinque annorum in Congregatione.

Sunt etiam particulares Viſitatores Conuentuum ſuorum, tenentur enim hortari Confrates, ne otioſe viuant, neque inquietos ſe exhibeant, & qui eorum admonitionibus non obtemperant, denunciati Rectori mulctantur pœna, iuxta qualitatem delicti.

De

De Deputatis. Caput X.

IN omnibus Monaſteriis noſtris, vnicuiq; Priori, quatuor Sacerdotes aſsignentur, ſcilicet, Vicarius, & tres Patres ex antiquioribus in ſodalitio, qui ſimul cum Priore Deputati appellantur, ſi tot Sacerdotes non reperiantur in Conuentu, deligantur ex Canonicis gradu Prioribus, & ingreſſu.

Eundem numerum quatuor Deputatorum præter Viſitatores, Rector etiam Generalis habeat in Conuentu ſancti Georgii in Alga.

Qui autem in Monaſterio domicilium non habent, arcentur ab hac prærogatiua.

Numerus Deputatorum cum Rectore, neque maior, neque minor ſit, quam quinque, excepto Conuentu ſancti Georgii in Alga, in quo ſunt ſeptem Deputati.

Si contigerit quandoque aliquem ex antiquioribus Canonicis aliunde tranſmiſſum, ad aliquod cœnobium accedere, aut aliquem ex fratribus, non Deputatis, deligi in Vicarium, tunc vltimus Deputatus intelligitur priuatus deputatione: ſimiliter ſi aliquis ex Deputatis in aliud Monaſterium trãſmittatur, ille qui ſequitur poſt vltimum Deputatum, ſuccedit in ius deputationis.

Quicumque ex iis, qui ex antiquitate, in Ordine obtinent ius Deputatorum, cognoſcit ſe inhabilem ad onera huiuſmodi officii, debet ſtatim in initio cuiuſque anni, repu-

diare

diare Deputationẽ, quod ſi honorem acceptauerit, & deinde ad onus deſes fuerit, aut defecerit in officio, ſubiacebit pœnis decretis contra Deputatos deficientes.

Conſenſu Deputatorum eliguntur Gubernatores Villarum, qui ab eiſdem etiam ex legitima cauſa poſſunt amoueri ab officiis.

Deputatis congruo tempore conſignantur omnes reditus, ſcilicet triticum, vinum, & oleum, & omnes prouentus, vt ipſi poſtmodum (cum videbitur) in menſura, pondere, & numero opportunè conſignẽt Procuratori, & exactè deſcribant in ſuo libro ad hoc deputato, tam reditus, quam conſignationes factas Procuratori.

Quando oportet mittere ad molendinum, aliquis eorũ ex communi conſenſu deſcribat quantitatem frumenti, quæ mittitur, & deinde quantitatem farinæ Domum reportatæ.

Deſcribat etiam panis coctiones, & quantitatem ponderis vnaquaque vice.

Item quotieſcunque vendetur frumentum, aut vinũ, aut aliud quodcumq; ex prouẽtibus, annotet, cui, & quãdo, & quanti vendatur, ita vt exacta ratio omnium introituum, & exituũm, pateat apud Deputatorũ Collegiũ.

Deputati non obſeruantes hoc præſcriptum, biennio careant Canonicatu.

Incumbit præterea Deputatis recipere à Procuratoribus, & Gubernatoribus poſſeſsionum realia ratiocinia om-

omnium adminiſtrationum, quandocumq; opus erit, & conſignationem omniũ rerum in calce vniuſcuiuſq, triennii, & quando dicti Procuratores, & Villici diſcedunt ab officiis procurationis, ſeu gubernationis, omniaq; memoria in libro mandare.

De conſultatione Deputatorum. Caput XI.

V*Bi ſunt multa conſilia, ibi ſalus inquit Sapiens. Rectores ergo, quibus animarum, & boni communis incolumitas curæ eſſe debet, ſaltem bis in menſe, & in rebus omnibus grauioribus Deputatos ad deliberandum adunari procurabunt.*

Qui ſimul omnes charitate coniuncti ſinceram intentionem ab omni perturbatione liberam in mediũ afferent.

Et ſi euenerit in conſultationibus aliquem diuerſæ ab aliis, aut ſingularis eſſe ſententiæ, nemo ab eo alienationem habeat, vel oſtendat.

Neq; conſultores ea quæ quiſque ſenſerit, vel quæ propoſita, aut definita fuerint, aliis ſignificare debent, præcipuè cum res ſecretum exigunt.

Si quis autem repertus fuerit, reuelaſſe ſecreta pertractata in Cõgregatione, pro pœna profiteatur ſuam culpam in Refectorio, comedat in terra, & per annum ſit priuatus voce actiua, & paſſiua.

Qui verò ad aliquid pertractandum à ſuo Priore vocatus, recuſauerit accedere, per annum ſuſpendatur ab of

P ficio.

ficio. Si autem quãdo opus eſt cõſultare, vnum vel plures è Deputatis cõtigerit abeſſe, cæteri qui ſunt in Cõuentu, decernant quod oportet, dummodo fraus abſit, & res non patiatur dilationem.

Congregandi Deputatos munus eſt ſolius Prioris, aut eius vice fungentis, quando Prior abeſt.

Si quis autem ex fratribus præter Priorem, aut eius vice fungentem auſus fuerit, ob aliquam particularem cauſam congregare Deputatos, biennio careat Canonicatu. Deputati autem ſinentes ſe adunari à priuatis, profiteantur ſuam culpam, & comedant ſemel in terra.

De vtenſilibus relictis à defunctis, aut conſeruandis, aut à Deputatis diuidendis. Caput XII.

Defuncti res à quocumq; relictas, Prior cũ Deputatis iuxta arbitrium conſcientiæ ipſorum, aut applicent Conuentui, quæ iudicabuntur aptæ, aut diſtribuant opportune fratribus familiæ.

Si quiſquam autem furto rapuerit, aut ſuſtulerit ex præfatis rebus, is conuictus, ſi ſit Canonicus careat biennio Canonicatu, non Canonicus autem per idem tempus veſtimentis priuetur. Habeatur tamen ratio quantitatis, & qualitatis delicti, vt ꝑ ratione culpæ augeri poſſit ẽt pœna.

Decedentibus Rectore generali, Priore, Vicario, aut aliquo ex patribus, ſeu fratribus Comitiorum tempore, fiat inuentarium rerum omnium, & diſtributio differatur

tur

tur vſque ad Aduentum noui ſucceſſoris, vel Generalis, vel Prioris. Vicarii autem, aut Deputati ſi ſecus fecerint, præterquam quod reſtituere ablata, & diſtributa ſtatim tenebuntur, & à Superiore compellentur, careant per annum veſtimentis.

Si quis autem fratrum noſtrorum extra propriū Conuentum egreſſus moriatur in Conuentu ſibi peregrino, veſtimenta ſuæ perſonæ ſecum lata, ſint Monaſterii vbi deceſsit.

De Procuratore. Caput XIII.

PRocurator vniuſcuiuſq; Conuentus eligatur à Patribus vndecim in Capitulo generali, vir fidelis, prudens, qui timeat Deum, & naturæ dono aptus ſit ad negotia, qui fuerit in Congregatione annos duodecim.

Curam gerit Procurator in temporalibus totius ſubſtantiæ Conuentus in vſu ſeruorum Chriſti præparatæ.

Iccirco charitatem omnibus impartiat, & quādo opere non poterit, verbis ſaltem accommodatis ſatisfaciat.

Ordinariam alimoniam debitis horis dādam, & alia neceſſaria ad veſtitum toti familiæ procuret.

Studeat, vt res omnes quam opportunè emātur, ne aut minus bonæ, aut iniquo pretio comparentur.

Caueat etiam ne dum parcitati ſtudet, malas res, aut inſalubres emat: inuigilet vt emptæ illæſæ conſeruentur.

Sedulus ſit in omnibus, & cuſtodiat quod cuſtodiendum eſt.

Procuret, vt poſſeſsiones, horti, & viridaria excolantur, augeanturque arboribus, & aliis neceſſariis.

Viſitet ſæpe prædia, & poſſeſsiones, inuigiletq; ſuper earum conſeruatione, & augmento.

Det operam, vt famuli Conuentus ſint probatæ vitæ, non deferant veſtes immodeſtas, neque turpia loquantur. Alioquin eiiciat eos, & alios idoneos inueniat.

Miſſam ſæpius celebret, & quãdo illi vacat, interſit diuinis officiis tam diurnis, quam nocturnis, & irreligioſus notabiliter priuetur officio.

Soluat cui debet in initio ſui officii abſq; dilatione pretiũ reliquiarum rerũ à Procuratore præcedẽte relictarũ.

Item ſoluat annuales, & contingentes impoſitiones veluti decimas, taxationes decretas à Capitulo, vel Diæta, & alia onera Conuentus.

Non obliget bona immobilia, vel mobilia Monaſterii, neque contrahat æs alienum à ſucceſſoribus ſoluendum.

Qui ex culpa propria reus fuerit in contrahendis debitis, anno vno priuetur Canonicatu, & compellatur ipſe ad ſolutionem æris alieni.

In emendis, vel vendendis rebus alicuius momenti nihil agat abſq; licentia ſui Prioris, alioquin in ſubductione rationum expenſæ factæ contra vtilitatem Monaſterii non computentur, neque admittantur.

In fine anni ratiocinia omnia redacta in compendium coram Canonicis congregatis legat, & ſummam referat, dati, & accepti.

De libris rationum, & aliis obſeruandis circa eas à Procuratore. Caput XIIII.

Libros, in quibus cuſtodiuntur rationes Conuentus, Procurator, quiſq; in Grammatophylacio, vulgò Factoria accuratè conſeruet, & ordine debito annuatim tranſcribantur credita cenſuum, & omnium prouentuum, vt quiſque annus cum ſuo milleſimo ſuas per ſe ſeparatas habeat exactiones: vbi ſit notatum, quis, quando, & ob quam cauſam debeat, & ex aduerſo in ſpacio competenti relinquatur pagina alba, in qua annotetur poſtea ſolutio quandocumque facta fuerit.

In libello particulari, ad hoc deſtinato, procurabit, quādo ſoluerit aliquod debitum, ſcribi receptiones pecuniarū à ſe ſolutarum, manu propria eorum, qui eas recipiunt, vel alio modo caueat indemnitati Conuentus, cuius iura enixè tueatur ſemper, & conſeruet.

In tabella appenſa in eodem Grammatophylacio appareant omnia onera Conuentus.

Adſit etiam alia tabella, in qua appareant taxationes ſoluendæ pro viatico illorum, qui transferuntur de vno in aliud Monaſterium.

Ibidem liber conſeruetur, in quo deſcribantur omnia, quæ

Sedulus ſit in omnibus, & cuſtodiat quod cuſtodiendum eſt.

Procuret, vt poſſeſſiones, horti, & viridaria excolantur, augeanturque arboribus, & aliis neceſſariis.

Viſitet ſæpe prædia, & poſſeſſiones, inuigiletq; ſuper earum conſeruatione, & augmento.

Det operam, vt famuli Conuentus ſint probatæ vitæ, non deferant veſtes immodeſtas, neque turpia loquantur. Alioquin eiiciat eos, & alios idoneos inueniat.

Miſſam ſæpius celebret, & quādo illi vacat, interſit diuinis officiis tam diurnis, quam nocturnis, & irreligioſus notabiliter priuetur officio.

Soluat cui debet in initio ſui officii abſq; dilatione pretiū reliquiarum rerū à Procuratore præcedēte relictarū.

Item ſoluat annuales, & contingentes impoſitiones veluti decimas, taxationes decretas à Capitulo, vel Diæta, & alia onera Conuentus.

Non obliget bona immobilia, vel mobilia Monaſterii, neque contrahat æs alienum à ſucceſſoribus ſoluendum.

Qui ex culpa propria reus fuerit in contrahendis debitis, anno vno priuetur Canonicatu, & compellatur ipſe ad ſolutionem æris alieni.

In emendis, vel vendendis rebus alicuius momenti nihil agat abſq; licentia ſui Prioris, alioquin in ſubductione rationum expenſæ factæ contra vtilitatem Monaſterii non computentur, neque admittantur.

In

In fine anni ratiocinia omnia redacta in compendium coram Canonicis congregatis legat, & ſummam referat, dati, & accepti.

De libris rationum, & aliis obſeruandis circa eas à Procuratore. Caput XIIII.

Libros, in quibus cuſtodiuntur rationes Conuentus, Procurator, quiſq; in Grammatophylacio, vulgò Factoria accuratè conſeruet, & ordine debito annuatim tranſcribantur credita cenſuum, & omnium prouentuum, vt quiſque annus cum ſuo milleſimo ſuas per ſe ſeparatas habeat exactiones: vbi ſit notatum, quis, quando, & ob quam cauſam debeat, & ex aduerſo in ſpacio competenti relinquatur pagina alba, in qua annotetur poſtea ſolutio quandocumque facta fuerit.

In libello particulari, ad hoc deſtinato, procurabit, quãdo ſoluerit aliquod debitum, ſcribi receptiones pecuniarũ à ſe ſolutarum, manu propria eorum, qui eas recipiunt, vel alio modo caueat indemnitati Conuentus, cuius iura enixè tueatur ſemper, & conſeruet.

In tabella appenſa in eodem Grammatophylacio appareant omnia onera Conuentus.

Adſit etiam alia tabella, in qua appareant taxationes ſoluendæ pro viatico illorum, qui transferuntur de vno in aliud Monaſterium.

Ibidem liber conſeruetur, in quo deſcribantur omnia,

quæ

quæ ex quacumque cauſa recipit Monaſterium ab Aromatariis, quibus denunciabit Procurator, ne alicui quicquā dent, niſi eis offeratur prædictus liber, in quo res Conuentui datas, deſcribant, ac proteſtetur eis, quòd quicquid abſque præfatis cautelis dederint, veluti perperam datum, non ſoluetur à Conuentu.

Similiter ſingulorum opificum, & tabernariorum libri non deſint, in quibus omnia ipſorū cōmercia inſcribantur.

Liber etiam adſit, in quo reliquiæ rerum anni præteriti vulgò reſeruæ, annuatim, & earum rationes conſcribantur.

Diurnum quotannis conficiat, in quo deſcribat nomina eorum, quibus quicquā momenti vendidit, aut à quibus emit, & niſi appoſuerit diem, pondus, numerum, menſuram, & pretium rerum, in ſubductione rationū non admittantur expenſæ tamquàm fraudis ſuſpectæ.

Et ſpeciatim in dicto Diurnali tenetur notare nomina fratrum, quibus tradit veſtimenta cærulea, & diē in quo tradet, ſub pœna priuationis Canonicatus per biennium.

Et inſuper in Commentario accepti, & expenſi, vulgò ſquarciafoglio deſcribat ſeriatim impenſas quotidianas continuatas, non ſub diuerſis titulis interruptas.

In fine ſuæ adminiſtrationis nō ſibi reſeruet quicquam in præiudicium ſucceſſorum, neque in ratione ſui crediti ponat cenſus, aut credita inexigibilia, quæ tūc talia decernuntur, cum per biennium non potuerunt exigi, non ſit tamen

men negligens miniſter Conuentus in procuranda talium exactione, vt iura Conuentus conſeruentur.

De iis, quæ à Procuratore tractari cum Deputatis debent. Caput XV.

NVllam litem abſque iuriſperitorum conſultatione, & Patrum Deputatorum deliberatione, Procurator moueat.

Infine cuiuſque trimeſtris temporis coram Deputatis, & Calculatoribus rationem reddat dati, & accepti, & quando in ſupputando inueniuntur errata, in calce rationum deſcribantur.

Syngrapha verò cuiuſuis mēſis ſubſcripta cuſtodiatur apud antiquiorem Calculatorem, & completo anno omnes ſyngraphæ à prædictis Deputatis, & Calculatoribus conſerantur cum Diurno, & conſiderentur an inter ſe conueniant, & rationibus ſupputatis ſubſcribant Deputati, & Calculatores in libro Diurnali, qui per Priorem ad Capitulum, vel Diætam deferatur, ibiq́; inſpectis inſpiciendis remittatur poſtea ad proprium Cōuentum, vt ibi perpetuò aſſeruetur.

Finito vnoquoque anno, Procurator reliquias vulgò reſeruas, veluti fructus, candelas, animalia, & ſimilia, quorum pretium ſibi ſoluendum eſt à ſucceſſore, exponat coram Deputatis inſpiciendas, vt conſiderent ipſarum bonitatem, pondus, menſuram, & pretium, vtq́; de eorumdē

Depu-

Deputatorum conſenſu dictæ reliquiæ annotetur in Diurno, & in fine triennii Vicario dentur diſpenſandæ, & cuſtodiendæ prout fuerit opportunum.

Quãdo ob tenuitatem introituum alicuius anni oritur dubium, an aliquod Monaſterium poſsit ſoluere taxationes debitas nec ne, tunc Viſitatores cum Deputatis eiuſdẽ Conuentus, ſupputatis rationibus, determinent quod æquum eſt.

Completa adminiſtratione, (quæ tunc finita decernitur quando delecti ſucceſſores accedunt ad regimen) Procurator reſignabit nouo Procuratori vel tunc, vel ſaltem infra menſem, abſque exceptione vlla, coram Deputatis debita, & credita, & omnia ſpectantia ad Conuentum, ita vt in iis amplius ſe ingerere nullatenus poſsit, niſi conſilii, aut informationis cauſa.

De ſubſidiaria, & annuali prouiſione veſtitus. Caput XVI.

VEſtiatur vnuſquiſque iuxta honeſtum morem ordinis conſeruandum à Patribus Deputatis ad hanc actionem annuatim congregandis. Et vnicuique ad menſuram, & proportionem propriæ perſonæ veſtimenta fiant, quæ tamen non vt propria, ſed ad vſum conceſſa ſibi vnuſquiſque habeat.

Et Procurator ex decreto Patrum ſuppeditet vnicuique, quod aſsignatum fuerit.

Quando tamen aliquis ex fratribus egeret magis alia re, quam veſtimentis, vt puta libris neceſſariis ad ſtudendum, vel quando loco veſtimentorum quæ tunc illi diſtribuenda ſunt, magis indigeret alio genere veſtimenti, vt puta loco tunicæ optaret ſibi interulas dari; tunc de conſenſu dictorum Patrum pretium, quod expendẽdum eſſet ad veſtimentum ipſius, poſsit commutari in id, quod magis vtile eſt, aut neceſſarium illi.

Veſtes cærulea ſuperiores vulgò tabarri fiant tantum vnoquoque octennio completo.

Pellandæ verò ſeptennio impleto.

Pallium ad iter conficiendum vulgò mantellum completo ſexennio.

Qui autem ante præfixum tempus petierint veſtimenta tamquàm ſibi debita, ii de mendacio conuicti priuẽtur vno anno veſtimentis, & Superiores ſecus faciẽtes, qui ſcilicet alicui veſtimenta tribuerint ante tempus determinatum, biennio careant Canonicatu.

Vt autem fraudes, & ſcandala euitentur in diſtributione veſtimentorum, hoc obſeruetur, vt tabarri, & pellandæ nõ dentur niſi prius ab iis, qui prædicta veſtimenta petũt, afferatur in ſcriptis fides, vel Reuerendiſsimi Generalis, vel Notarii Capitularis de tempore, quo ſuperiora veſtimenta eis tradita fuerunt.

Interula ſtaminea ſingulis annis cuique fratri datur vna, ſimiliter tunica interior vulgò ſubtana, datur ſingu-

lis annis vna, dummodo non detur illo anno tabarrus, aut pellanda, aut mantellum.

Caligarum duo paria, & duo bireta cærulea ſingulis annis dantur cuique ex fratribus.

Quando veſtimenta noua ſunt facta, & denũciatum eſt fratribus, vt quiſque veſtes veteres reddat, & recipiat nouas, qui ſpacio dierum xv. non acceſſerit ad ſuam veterem reſtituendam, & nouam accipiendam, priuetur pro illo anno nouo veſtimento.

Vetera autem veſtimenta, quæ reddenda ſunt, cum noua accipiuntur, duo tantum ſunt, ſcilicet tunicæ interiores vulgò ſubtanæ, & tunicæ ſuperiores vulgò pellandæ.

De Patribus priuilegiatis, ſiue emeritis. Caput XVII.

CVm emeriti milites ſæculi aliquando vacationẽ ab onere obtineant, æquum eſt, vt ſimiliter illi, qui in ſodalitio perſeuerauerint annos quinquaginta, quam metam pauci admodum attingũt, tamquàm emeriti milites immunes ſint ab obſeruantiis ordinariis, neque teneantur ad eas, niſi quantum conſcientia illis dictauerit.

Admonendi ſunt tamen eiuſmodi Patres emeriti, vt quantum illis Dominus dederit, & vires ſuppetunt, nõ deſint cæteris fratribus bonorum operum exempla præbere, tum circa reſidentiam in choro, tum circa reliqua munia regu-

regularia. Quamuis enim immunes facti ſint ab obſeruātiis quoad Conſtitutiones, & pœnas in eis contentas, nō tamen propterea permittere debent, vt coram Deo à propria conſcientia de ignauia, & torpore condemnentur.

Poſſint præterea Patres emeriti habitationem ſibi eligere in Patria ſua.

Iis etiam quemadmodum, & aliis, qui per ætatem aut morbum imbecilles ſunt, prouidendum eſt à Superioribus, vt ſint, qui eis inſeruiant, & ſubſidium afferant in rebus neceſſariis, vt in lauandis veſtimentis, in ſternendis lectis, in verrendis cellis, & ſimilibus, quæ Superiorum diſcretioni relinquuntur.

Et ne dignitas ſupremi Magiſtratus vileſcat, aliquibus etiam priuilegiis gaudeant, qui vna, vel pluribus vicibus, dignitatem Generalatus obierunt.

Hi itaque habeant ſimiliter, vt Patres emeriti optionē habitationis in Conuentu Patriæ ſuæ, à quo dimoueri non poſſint abſque vrgenti cauſa, & in Conuentibus, in quibus reſederint, citra Priorem, & Vicarium proprium, obtineant primum locum; & quando euenit eos equitare debere, prouideatur eis de equo, & famulo, & ſumptu ad iter faciendum neceſſario.

De fratribus Villicis, aliàs Gubernatoribus poſſeſſionum. Caput XVIII.

Villicos, qui apud nos, Gubernatores dicuntur, vita, & moribus probos Patres Deputati debent eligere, qui permanſerint in ſodalitio annos quindecim.

Villici Conuentus ſancti Saluatoris nominantur per Priorem in Capitulo generali, & confirmantur à Patribus Diſtributoribus: quare, tam Prior, quam Patres prædicti animaduertant, & curent, vt non niſi probi, & idonei eligantur.

Antequam Villicus mittatur ad Gubernationem Villæ, aut poſſeſſionum, ſiue Conuentus ſancti Saluatoris, ſiue cuiuſcumque alterius Monaſterii, præſtet iuramentum in manibus Prioris, & ſi fieri commodè poteſt, coram Deputatis, ſub tali forma tactis ſcripturis.

Ego N. iuro quòd iuſtè, & fideliter adminiſtrabo reditus frugum, olearum, vinearum, fructuū, & omnes prouentus, & pariter prædicta omnia exponam verè, & realiter [illegible] e fr[illegible] Calculatoribus menſuranda, vel Pate[illegible] [illegible]luerit, neque abſcondam quicquam e[illegible]

[illegible] [illegible]quam [illegible] ſcriptam, vel ſaltem [illegible] prop[illegible] [illegible]onat Prior in Archi[illegible] [illegible]ſcrip[illegible] [illegible]ntus.

Priores

Priores deficientes in hoc puniantur à Patribus Viſitatoribus. Villici verò fraudem committentes in ſua adminiſtratione puniantur vt periuri, amoueanturq; ab adminiſtratione, & in perpetuum careant officio.

Munus Villicorum eſt diligenter curare, vt prouētus, & reditus exigantur, exactique ad Conuētum debitis temporibus mittantur, ac de illis omnibus, cum tempus erit, rationem reddere ad requiſitionem Superioris.

Debent etiam diſtinctè notare in ſuis libris diurnis pretium rerum emptarum, & venditarum, diem, numerū, quātitatem, per quem, & à quo emerint, & cui vendiderint. Alioquin in ſubductione rationum, expenſæ non admittantur.

Tenentur inſuper reddere rationem expēſarum ſingulis trimeſtribus, vel ad omnem nutum Prioris.

Et quando diſcedunt ab officio, tenentur relinquere libros diurnos continētes rationem ſuarū adminiſtrationū, ſub pœna priuationis à Canonicatu per bienniū, vel ſi fuerint Conuerſi, priuationis veſtimentorum per idem tēpus.

Debent autem ſummoperè cauere Villici, ne perſonæ ſuſpectæ, aut alicuius malæ exiſtimationis ad ſua limina accedant: & ob id, non poſſint neque ipſi, neque alii eorum loco conſtituti, noctu in Villis noſtris ſuſcipere hoſpitio mulieres, ſub eadem pœna priuationis Canonicatus, & veſtimentorum per biennium, & remotionis ab officio regendarum Villarum per quinquennium.

De

De cuſtode Penarii, & Refectorii, & vinariæ Cellæ. Caput XIX.

ELigatur diſpenſator, & cuſtos Refectorii, ex noſtro Collegio vir ſedulus, ſobrius, nõ iniurioſus, quinimo patiens, ac timens Deum.

Officium cuius magis, & minus extendatur, vt Priori videbitur.

Vniuſcuiuſq; rei ſibi commiſſæ victus cauſa curam gerat, debitis horis prouideat omnibus, quæ neceſſaria ſunt.

Fercula menſæ tempeſtiuè diſponat, & omnia diſcretè perſoluat; eique, ſi opus eſt, collega addatur, cuius adminiculo abſque tædio ſatisfacere ſuo poſsit officio.

Cuſtodi Hoſpitii benignè tradat neceſſaria.

Quid verò agendum ſit Coquo, opportunè committat.

Seruitoribus, & laboratoribus victui neceſſaria diſpẽſet.

Cum indiguerit alicuius rei, tempeſtiuè à Procuratore petat, vt poſsit opportuno tempore prouidere.

In rebus diſtribuendis æqualitatem ſeruet inter omnes, habeat tamen infirmorum, decrepitorumque, & conualeſcentium rationem, prout ei fuerit à Superiore præſcriptũ.

Quæ ex menſis ſuperſunt, diligenter conſeruet, memor paupertatis, Ianitorique tradat mendicis diſpenſanda in eleemoſynam.

Curam habeat conſeruãdi res ad victum neceſſarias, quæ ipſi committuntur, clauſaſq; cuſtodiat, aduertens ne corrum-

corrumpantur, quodſi corruptionis ſit periculum, Rectorem, vel Procuratorem admoneat.

Tam Penarium, & Refectorium, quam reliqua munda habeat.

Curet concinnanda dolia, & purganda, cum opus eſt, ad nouum vinum infundendum.

Inuigilet, vt aqua quotidie parata ſit ad abluẽdas manus, & mantilia ad abſtergendas.

Mantilia, Mappas, & Mappulas numeratò recipiat à Veſtiario, reddatque eidem. Quæ omnia mutentur ſaltem ſemel in hebdomada.

Curet ne vaſa, & cætera in Refectorio neceſſaria deſint, & vt quàm maximè munda ſint.

Signum tintinnabulo hora competenti dabit conueniendi ad menſam, neque præſcriptas horas præteribit, ne familiam conturbet.

Sed ante primam pulſationem à coquo, an ſint omnia parata inquiret.

Res neceſſariæ in menſa paratæ eſſe debent, cum primũ tintinnabuli ſignum dabitur, quæ autem ad potum pertinent, circa ſecundum ſignum apponantur.

Inuentarium teneat rerum, quæ in Penario, & Refectorio vſui ſunt, vt cum earum ratio ab eo requiritur, in promptu habeat, & in loco ad id deſignato eas cuſtodiat.

Et quãdo Prior ei impoſuerit, vt annotet in libro introitũ rerũ emptarũ, & diſpenſandarũ, fideliter iuſſa ꝑficiat.

De

De miniſtris menſæ. Caput XX.

MInistri menſæ ſint omnes Clerici, nondum ad ordinẽ presbyterii promoti, donec annos nouem in ſodalitio compleuerint, & conuerſi, qui nondum viginti quinque annos in ſocietate finierint.

Singulique, tam Clerici, quam Conuerſi ſingulis hebdomadis, gradatim in officio deſeruiant.

De custode Hoſpitii. Caput XXI.

CVſtos Hoſpitii deligatur ex familia, vir proximo benignus, charitatiuus, & timens Deum.

Cuius munus eſt cubicula Hoſpitii, lectiſternia, triclinium, lintea, & omnia, quæ illic ſunt, nitida, & munda conſeruare; & ita humaniter, ac benignè ſe gerere ad hoſpites, vt quantum per ſe fieri poteſt, charitate ædificatos dimittat.

De Veſtiario. Caput XXII.

VEſtiarius eligatur vir, qui ſit inſtructus ſarcinatoria arte, vt ſciat reſarcire pannos, eoſq; conſeruare ne corrumpantur.

Ad quem ſpectat procurare, vt ea, quæ immũda ſunt, lauentur, & ideo petat ab officialibus, aliiſq; Conuentus, quæ lauanda ſunt, eaq; numerato, & ſcripto lotori tradat, lotaq; deinde iuxta neceſſitatem diſtribuat.

Die

Die Sabbathi, Veſpere poſt cœnam, Mappas, Mappulaſq;, & mantilia, Penarii cuſtodi tradat lota, recipiatq; immunda, diligenter aduertens nequid deſit, tum ex iis quæ dat, tum ex iis quæ recipit.

Idem faciat cum aliis Miniſtris, vt ſcilicet vnicuique diſtribuat munda vtenſilia, & recipiat immunda.

Inuētarium rerum, quas ipſe cuſtodit, in libro habeat, & ſeorſum ſcribat, quæ noua fiunt, addito die in quo fiunt, vt cum Superiori videbitur, poſsit ſui muneris rationem reddere.

Linteorum tam Hoſpitii, quàm Dormitorii curam gerat, detq́; ſingulis menſibus cuiq; fratri mūda, recipiatq́; immunda, ac memor ſit ſe cuſtodire rē pauperū Chriſti.

De Ianitore. Caput XXIII.

IAnitor eligatur vir diſcretus, qui ad ſatisfaciendum omnibus ſit aptus, & ad deferēda, referendaq́ue reſponſa ſit habilis.

Talem cum omnibus conuerſandi modum teneat, vt diſcretione, modeſtia, & ſpiritualibus verbis, ſingulos ædificatos, & contentos à ſe dimittere ſtudeat: propeq́; portam ſit eius cubiculum.

Si quando Prælati, aut clari, & honorati viri domum intrarint, curet, ſi commodè poſsit, vt ſacerdos aliquis eos comitetur, dum Superiorem certiorem facit.

Pauperibus eleemoſynas ad Ianuam petentibus benignè

gnè reſpondeat, omniq; charitate ſatisfaciat: hoc enim cõmendat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt ſitientes, & eſurientes paſcamus.

Mulieres ſi quandò ad Ianuam accedant, paucis verbis expediat, & ſi quem ex collegio alloqui poſtulent, ad Eccleſiam eas mittat extra tempus diuinorum officiorum, idq; ſignificet cui debet; Rectori ſcilicet primum, & deinde cui ille iuſſerit.

Mulieres autem malæ famæ omnino non patiatur ad Ianuam moram trahere, ſignificetq; Rectori, ſi quando id contingeret.

Non permittat aliquos ex fratribus in limine portæ otioſos eſſe, neque inter ſe, vel cum aliis nugari.

Obſerata ſemper Ianua ſit, locaq; portæ vicina munda ſeruet.

Nihil cuiquam nunciabit inconſulto Rectore, aut Vicario, nihil intempeſtiuè, veluti cum in choro, aut ad menſam ſunt fratres, niſi tamen aut res eſſet neceſſaria, aut conditio mittentis aliud exigeret.

Si quis ab externis quæratur, qui domi non ſit, modeſtè intelligat, quis ſit ille, qui petit, & quid velit, vt redeunti, ſi opus ſit, ſignificare poſsit.

Nihil cuſtodiendum à quoquam externo recipiat abſque Prioris iuſſu.

Feſtinet ad Ianuam cum tintinnabulũ pulſari audit, neque quicquam ſit illi magis cordi, quàm vt citò ad Ia-

nuam currat, cum pulſatum fuerit, ſciatq; ex ipſius ſedulitate, & negligentia maximam Monaſterii pendere, vel ſatisfactionem, vel querimoniam.

Portas domus ante noctem ſtatim, poſt pulſatam Angelicam ſalutationem, claudat, & exinde eas nemo aperiat niſi ipſe Ianitor de expreſſa licentia Superioris.

Obſerata autem Ianua inſpiciat vel ipſe Ianitor, vel alius officialis, quem ad hoc munus Rector deputauerit, per cubicula ſingulorum fratrum, an omnes domi ſint, vel aliquis foris remanſerit, & alibi pernoctet: videat etiã, an quiſquam aliquem exterum in ſuam cellam, vel in Conuentum introduxerit, & omnia Priori renunciet.

De clauibus Ianuarum cuſtodiendis, & reliquis ab ipſo agendis, faciat Ianitor, quod præceptum fuerit ei à Superiore.

De cuſtode valetudinarii aliàs infirmitorii.
Caput XXIIII.

CVſtos valetudinarii ex Collegio eligatur vir diſcretus, humanus, charitatiuus, patiens, & aptus ad ſeruitium infirmorũ, cui detur vnus, aut plures adiutores iuxta neceſſitatem.

Ipſeq; in primis ſtudeat inducere infirmos ad ſuſcipienda ſalutaria pœnitentiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramenta.

Bene curet infirmos, ne ſua negligentia patiantur aliquid

Deputatorum conſenſu dictæ reliquiæ annotētur in Diurno,& in fine triennii Vicario dentur diſpenſandæ, & cuſtodiendæ prout fuerit opportunum.

Quādo ob tenuitatem introituum alicuius anni oritur dubium,an aliquod Monaſterium poſsit ſoluere taxationes debitas nec ne, tunc Viſitatores cum Deputatis eiuſdē Conuentus, ſupputatis rationibus, determinent quod æquum eſt.

Completa adminiſtratione,(quæ tunc finita decernitur quando delecti ſucceſſores accedunt ad regimen) Procurator reſignabit nouo Procuratori vel tunc, vel ſaltem infra menſem,abſque exceptione vlla, coram Deputatis debita, & credita, & omnia ſpectantia ad Conuentum, ita vt in iis amplius ſe ingerere nullatenus poſsit, niſi conſilii, aut informationis cauſa.

De ſubſidiaria, & annuali prouiſione veſtitus. Caput XVI.

VEſtiatur vnuſquiſque iuxta honeſtum morem ordinis conſeruandum à Patribus Deputatis ad hanc actionem annuatim congregandis. Et vnicuique ad menſuram, & proportionem propriæ perſonæ veſtimenta fiant, quæ tamen non vt propria, ſed ad vſum conceſſa ſibi vnuſquiſque habeat.

Et Procurator ex decreto Patrum ſuppeditet vnicuique,quod aſsignatum fuerit.

Quando tamen aliquis ex fratribus egeret magis alia re, quam veſtimentis, vt puta libris neceſſariis ad ſtudendum, vel quando loco veſtimentorum, quæ tunc illi diſtribuenda ſunt, magis indigeret alio genere veſtimenti, vt puta loco tunicæ optaret ſibi interiulas dari, tunc de conſenſu dictorum Patrum pretium, quod expendendum eſſet ad veſtimentum ipſius, poſsit commutari in id, quod magis vtile eſt, aut neceſſarium illi.

Veſtes carulea ſuperiores vulgò tabarri fiant tantum vnicuique octennio completo.

Pellanda verò ſeptennio impleto.

Pallium ad iter conficiendum vulgò mantellum completo ſexennio.

Qui autem ante præfixum tempus petierint veſtimenta tamquàm ſibi debita, ii de mendacio conuicti priuētur vno anno veſtimentis, & Superiores ſecus facientes, qui ſcilicet alicui veſtimenta tribuerint ante tempus determinatum, biennio careant Canonicatu.

Vt autem fraudes, & ſcandala euitentur in diſtributione veſtimentorum, hoc obſeruetur, vt tabarri, & pellandæ nō dentur niſi prius ab iis, qui prædicta veſtimenta petūt, afferatur in ſcriptis fides, vel Reuerendiſsimi Generalis, vel Notarii Capitularis de tempore, quo ſuperiora veſtimenta eis tradita fuerunt.

Interula ſtaminea ſingulis annis cuique fratri datur vna, ſimiliter tunica interior vulgò ſubtana, datur ſingu-

lis annis vna, dummodo non detur illo anno tabarrus, aut pellanda, aut mantellum.

Caligarum duo paria, & duo bireta cærulea ſingulis annis dantur cuique ex fratribus.

Quando veſtimenta noua ſunt facta, & denũciatum eſt fratribus, vt quiſque veſtes veteres reddat, & recipiat nouas, qui ſpacio dierum xv. non acceſſerit ad ſuam veterem reſtituendam, & nouam accipiendam, priuetur pro illo anno nouo veſtimento.

Vetera autem veſtimenta, quæ reddenda ſunt, cum noua accipiuntur, duo tantum ſunt, ſcilicet tunicæ interiores vulgò ſubtana, & tunicæ ſuperiores vulgò pellandæ.

De Patribus priuilegiatis, ſiue emeritis. Caput XVII.

CVm emeriti milites ſæculi aliquando vacationẽ ab onere obtineant, æquum eſt, vt ſimiliter illi, qui in ſodalitio perſeuerauerint annos quinquaginta, quam metam pauci admodum attingũt, tamquàm emeriti milites immunes ſint ab obſeruantiis ordinariis, neque teneantur ad eas, niſi quantum conſcientia illis dictauerit.

Admonendi ſunt tamen eiuſmodi Patres emeriti, vt quantum illis Dominus dederit, & vires ſuppetunt, nõ deſint cæteris fratribus bonorum operum exempla præbere, tum circa reſidentiam in choro, tum circa reliqua munia

regu-

regularia. Quamuis enim immunes facti ſint ab obſeruātiis quoad Conſtitutiones, & pœnas in eis contentas, nō tamen propterea permittere debent, vt coram Deo à propria conſcientia de ignauia, & torpore condemnentur.

Poſſint præterea Patres emeriti habitationem ſibi eligere in Patria ſua.

Iis etiam quemadmodum, & aliis, qui per ætatem aut morbum imbecilles ſunt, prouidendum eſt à Superioribus; vt ſint, qui eis inſeruiant, & ſubſidium afferant in rebus neceſſariis, vt in lauandis veſtimentis, in ſternendis lectis, in verrendis cellis, & ſimilibus, quæ Superiorum diſcretioni relinquuntur.

Et ne dignitas ſupremi Magiſtratus vileſcat, aliquibus etiam priuilegiis gaudeant, qui vna, vel pluribus vicibus, dignitatem Generalatus obierunt.

Hi itaque habeant ſimiliter, vt Patres emeriti optionē habitationis in Conuentu Patriæ ſuæ, à quo dimoueri non poſſint abſque vrgenti cauſa, & in Conuentibus, in quibus reſederint, citra Priorem, & Vicarium proprium, obtineant primum locum; & quando euenit eos equitare debere, prouideatur eis de equo, & famulo, & ſumptu ad iter faciendum neceſſario.

De fratribus Villicis, aliàs Gubernatoribus poſſeſſionum. Caput XVIII.

Villicos, qui apud nos, Gubernatores dicuntur, vita, & moribus probos Patres Deputati debent eligere, qui permanſerint in ſodalitio annos quindecim.

Villici Conuentus ſancti Saluatoris nominantur per Priorem in Capitulo generali, & confirmantur à Patribus Diſtributoribus: quare, tam Prior, quam Patres prædicti animaduertant, & curent, vt non niſi probi, & idonei eligantur.

Antequam Villicus mittatur ad Gubernationem Villæ, aut poſſeſſionum, ſiue Conuentus ſancti Saluatoris, ſiue cuiuſcumque alterius Monaſterii, præſtet iuramentum in manibus Prioris, & ſi fieri commodè poteſt, coram Deputatis, ſub tali forma tactis ſcripturis.

Ego N. iuro quod iuſtè, & fideliter adminiſtrabo reditus frugum, olearum, vinearum, fructuũ, & omnes prouentus, & pariter prædicta omnia exponam verè, & realiter abſque fraude Calculatoribus menſuranda, vel Paternitati veſtræ ſi voluerit, neque abſcondam quicquam eorum eis.

Hanc autem paginam iuramẽti ſcriptam, vel ſaltem ſubſcriptam manu propria Villici, ponat Prior in Archiuio inter reliquas ſcripturas Conuentus.

Priores

Priores deficientes in hoc puniantur à Patribus Viſitatoribus. Villici verò fraudem committentes in ſua administratione puniantur vt periuri, amoueanturq; ab administratione, & in perpetuum careant officio.

Munus Villicorum eſt diligenter curare, vt prouẽtus, & reditus exigantur, exactique ad Conuentum debitis temporibus mittantur, ac de illis omnibus, cum tempus erit, rationem reddere ad requiſitionem Superioris.

Debent etiam diſtinctè notare in ſuis libris diurnis pretium rerum emptarum, & venditarum, diem, numerũ, quãtitatem, per quem, & à quo emerint, & cui vendiderint. Alioquin in ſubductione rationum, expenſæ non admittantur.

Tenentur inſuper reddere rationem expẽſarum ſingulis trimeſtribus, vel ad omnem nutum Prioris.

Et quando diſcedunt ab officio, tenentur relinquere libros diurnos continẽtes rationem ſuarũ adminiſtrationũ, ſub pœna priuationis à Canonicatu per bienniũ, vel ſi fuerint Conuerſi, priuationis veſtimentorum per idem tẽpus.

Debent autem ſummopere cauere Villici, ne perſonæ ſuſpectæ, aut alicuius malæ exiſtimationis ad ſua limina accedant: & ob id, non poſſint neque ipſi, neque alii eorum loco conſtituti, noctu in Villis noſtris ſuſcipere hoſpitio mulieres, ſub eadem pœna priuationis Canonicatus, & veſtimentorum per biennium, & remotionis ab officio regendarum Villarum per quinquennium.

De

De cuſtode Penarii, & Refectorii, & vinariæ Cellæ. Caput XIX.

ELigatur diſpenſator, & cuſtos Refectorii, ex noſtro Collegio vir ſedulus, ſobrius, nō iniurioſus, quinimo patiens, ac timens Deum.

Officium cuius magis, & minus extendatur, vt Priori videbitur.

Vniuſcuiuſq; rei ſibi commiſſæ victus cauſa curam gerat, debitis horis prouideat omnibus, quæ neceſſaria ſunt.

Fercula menſæ tempeſtiuè diſponat, & omnia diſcretè perſoluat; eique, ſi opus eſt, collega addatur, cuius adminiculo abſque tædio ſatisfacere ſuo poſsit officio.

Cuſtodi Hoſpitii benignè tradat neceſſaria.

Quid verò agendum ſit Coquo, opportunè committat.

Seruitoribus, & laboratoribus victui neceſſaria diſpēſet.

Cum indiguerit alicuius rei, tempeſtiuè à Procuratore petat, vt poſsit opportuno tempore prouidere.

In rebus diſtribuendis æqualitatem ſeruet inter omnes, habeat tamen infirmorum, decrepitorumque, & conualeſcentium rationem, prout ei fuerit à Superiore præſcriptū.

Quæ ex menſis ſuperſunt, diligenter conſeruet, memor paupertatis, Ianitorique tradat mendicis diſpenſanda in eleemoſynam.

Curam habeat conſeruādi res ad victum neceſſarias, quæ ipſi committuntur, clauſaſq; cuſtodiat, aduertens ne corrum-

corrumpantur, quodſi corruptionis ſit periculum, Rectorem, vel Procuratorem admoneat.

Tam Penarium, & Refectorium, quam reliqua munda habeat.

Curet concinnanda dolia, & purganda, cum opus eſt, ad nouum vinum infundendum.

Inuigilet, vt aqua quotidie parata ſit ad abluẽdas manus, & mantilia ad abſtergendas.

Mantilia, Mappas, & Mappulas numeratò recipiat à Veſtiario, reddatque eidem. Quæ omnia mutentur ſaltem ſemel in hebdomada.

Curet ne vaſa, & cætera in Refectorio neceſſaria deſint, & vt quàm maximè munda ſint.

Signum tintinnabulo hora competenti dabit conueniendi ad menſam, neque præſcriptas horas præteribit, ne familiam conturbet.

Sed ante primam pulſationem à coquo, an ſint omnia parata inquiret.

Res neceſſariæ in menſa paratæ eſſe debent, cum primũ tintinnabuli ſignum dabitur, quæ autem ad potum pertinent, circa ſecundum ſignum apponantur.

Inuentarium teneat rerum, quæ in Penario, & Refectorio vſui ſunt, vt cum earum ratio ab eo requiritur, in promptu habeat, & in loco ad id deſignato eas cuſtodiat.

Et quãdo Prior ei impoſuerit, vt annotet in libro introitũ rerũ emptarũ, & diſpenſandarũ, fideliter iuſſa ꝑficiat.

De

De miniſtris menſæ. Caput XX.

Iniſtri menſæ ſint omnes Clerici, nondum ad ordinẽ presbyterii promoti, donec annos nouem in ſodalitio compleuerint, & conuerſi, qui nondum viginti-quinque annos in ſocietate finierint.

Singulique, tam Clerici, quam Conuerſi ſingulis hebdomadis, gradatim in officio deſeruiant.

De cuſtode Hoſpitii. Caput XXI.

Vſtos Hoſpitii deligatur ex familia, vir proximo benignus, charitatiuus, & timens Deum.

Cuius munus eſt cubicula Hoſpitii, lectiſternia, triclinium, lintea, & omnia, quæ illic ſunt, nitida, & munda conſeruare, & ita humaniter, ac benignè ſe gerere ad hoſpites, vt quantum per ſe fieri poteſt, charitate ædificatos dimittat.

De Veſtiario. Caput XXII.

Eſtiarius eligatur vir, qui ſit inſtructus ſarcinatoria arte, vt ſciat reſarcire pannos, eoſq; conſeruare ne corrumpantur.

Ad quem ſpectat procurare, vt ea, quæ immũda ſunt, lauentur, & ideo petat ab officialibus, aliiſq; Conuentus, quæ lauanda ſunt, eaq; numerato, & ſcripto lotori tradat, lotaq; deinde iuxta neceſſitatem diſtribuat.

Die

Die Sabbathi, Veſpere poſt cœnam, Mappas, Mappulaſq; & mantilia, Penarii cuſtodi tradat lota, recipiatq; immunda, diligenter aduertens nequid deſit, tum ex iis quæ dat, tum ex iis quæ recipit.

Idem faciat cum aliis Miniſtris, vt ſcilicet vnicuique diſtribuat munda vtenſilia, & recipiat immunda.

Inuētarium rerum, quas ipſe cuſtodit, in libro habeat, & ſeorſum ſcribat, quæ noua ſiunt, addito die in quo fiunt, vt cum Superiori videbitur, poſſit ſui muneris rationem reddere.

Linteorum tam Hoſpitii, quàm Dormitorii curam gerat, detq́; ſingulis menſibus cuiq; fratri mūda, recipiatq́; immunda, ac memor ſit ſe cuſtodire rē pauperū Chriſti.

De Ianitore. Caput XXIII.

IAnitor eligatur vir diſcretus, qui ad ſatisfaciendum omnibus ſit aptus, & ad deferēda, referendaque reſponſa ſit habilis.

Talem cum omnibus conuerſandi modum teneat, vt diſcretione, modeſtia, & ſpiritualibus verbis, ſingulos ædificatos, & contentos à ſe dimittere ſtudeat: propeq́; portam ſit eius cubiculum.

Si quando Prælati, aut clari, & honorati viri demum intrarint, curet, ſi commodè poſſit, vt ſacerdos aliquis eos comitetur, dum Superiorem certiorem facit.

Pauperibus eleemoſynas ad Ianuam petentibus beni-

gnè reſpondeat, omniq́; charitate ſatisfaciat: hoc enim cõmendat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt ſitientes, & eſurientes paſcamus.

Mulieres ſi quandò ad Ianuam accedant, paucis verbis expediat, & ſi quem ex collegio alloqui poſtulent, ad Eccleſiam eas mittat extra tempus diuinorum officiorum, idq; ſignificet cui debet; Rectori ſcilicet primum, & deinde cui ille iuſſerit.

Mulieres autem malæ famæ omnino non patiatur ad Ianuam moram trahere, ſignificetq́; Rectori, ſi quando id contingeret.

Non permittat aliquos ex fratribus in limine portæ otioſos eſſe, neque inter ſe, vel cum aliis nugari.

Obſerata ſemper Ianua ſit, locaq́; portæ vicina munda ſeruet.

Nihil cuiquam nunciabit inconſulto Rectore, aut Vicario, nihil intempeſtiuè, veluti cum in choro, aut ad menſam ſunt fratres, niſi tamen aut res eſſet neceſſaria, aut conditio mittentis aliud exigeret.

Si quis ab externis quæratur, qui domi non ſit, modeſtè intelligat, quis ſit ille, qui petit, & quid velit, vt redeunti, ſi opus ſit, ſignificare poſſit.

Nihil cuſtodiendum à quoquam externo recipiat abſque Prioris iuſſu.

Feſtinet ad Ianuam cum tintinnabulũ pulſari audit, neque quicquam ſit illi magis cordi, quàm vt citò ad Ianuam

nuam currat, cum pulſatum fuerit, ſciatq; ex ipſius ſedulitate, & negligentia maximam Monaſterii pendere, vel ſatisfactionem, vel querimoniam.

Portas domus ante noctem ſtatim, poſt pulſatam Angelicam ſalutationem, claudat, & exinde eas nemo aperiat niſi ipſe Ianitor de expreſſa licentia Superioris.

Obſerata autem Ianua inſpiciat vel ipſe Ianitor, vel alius officialis, quem ad hoc munus Rector deputauerit, per cubicula ſingulorum fratrum, an omnes domi ſint, vel aliquis foris remanſerit, & alibi pernoctet: videat etiã, an quiſquam aliquem exterum in ſuam cellam, vel in Conuentum introduxerit, & omnia Priori renunciet.

De clauibus Ianuarum cuſtodiendis, & reliquis ab ipſo agendis, faciat Ianitor, quod præceptum fuerit ei à Superiore.

De cuſtode valetudinarii aliàs infirmitorii.
Caput XXIIII.

CVſtos valetudinarii ex Collegio eligatur vir diſcretus, humanus, charitatiuus, patiens, & aptus ad ſeruitium infirmorũ, cui detur vnus, aut plures adiutores iuxta neceſſitatem.

Ipſeq; in primis ſtudeat inducere infirmos ad ſuſcipienda ſalutaria pœnitentiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramenta.

Bene curet infirmos, ne ſua negligentia patiantur aliquid

quid incommodi, vel ſiniſtri, prouideat, vt quæ ægrotanti danda ſunt, & opportunè præparentur, & bona ſint.

Curet, vt ægrotantium lecti concinnè ſternantur, cubicula ſint valdè munda, & æſtate ramuſculis, & herbarum viriditatibus ornentur.

Decumbentes oblectet, & exhilarare ſtudeat, non ſolū rebus à medico probatis, ſed verbis etiam ſpiritualibus, & lætis.

Procuret, vt à Superiore mittantur quotidie aliqui patres modeſti, qui viſitent ægrotos, ac recreent, operaq; miſericordiæ exerceant.

Nihil omnino eorum, quæ à Medico præſcribūtur, prætermittat, aut mutet, ordinem etiam obſeruet temporum præfixorum, quibus prandium, cœna, ſyrupi, cæteraque medicamenta danda ſunt.

Si morbus ſit contagioſus, ſupellex ſeparari debet, ne cuiquam noceat.

Patienter, & cum charitate tum ipſe, tum ſocii ferant moleſtias, & difficultates, quæ in curandis infirmis accidere ſolent.

Conualeſcentes è lecto ſurgere non permittat, priuſquā id Medicus conceſſerit, & operam det, vt ex Medicorum præſcripto victus rationem habeant, quoad vires bene reparauerint.

Cu mgrauitas morbi id poſtulauerit, Superiorem certiore m faciat, vt ægrotus antequam iudicii vſu priuetur,

ſacra-

ſacramentum extremæ vnctionis ſuſcipiat, & vt orationibus omnium domeſticorum valde peculiaribus iuuari poſſit, & eo magis, quo morti propinquior fuerit, pro eo frequens oratio fiat.

Cum primum aliquis vita functus fuerit, ſacriſtã admoneat, prouideatq́;, vt corpus defuncti ad ſepulturã conſueto more præparetur, vt ſpatio conuenienti detentum, cum Priori viſum fuerit, ſepeliatur.

In hoc autem conſcientias Priorum, & Procuratorũ valde oneramus, ne aut incuria, aut auaritia deſint infirmis, aut infirmariis præſtare auxilium; & quæcumq; ex charitate, aut ex officio poſſunt, & debent, ne infirmi conturbentur, ſi debitum ſeruitutis, & charitatis ſibi nõ exhiberi ſentiant, & ne infirmariis opportuno auxilio deſtitutis, nimiæ vigiliæ, immoderatiq; labores, aut morbi contagia noceant.

Quare quilibet ex familia, quando requiritur à Superiore, vt ſuas partes infirmis, aut infirmariis præſtet, hilariter ſuum officium ſuſcipiat, nulliuſq; admittatur in hoc recuſatio: ſed omni charitate pergat vnuſquiſq; ad perſoluendum munus ſuum, memor ſentẽtiæ Euangelicæ dicentis, eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

De

De Calculatoribus generalibus.
Caput XXV.

IN primis, antequam Calculatores generales incipiant partes ſuas agere, in manibus Reuerendiſsimi Patris Generalis, coram Viſitatoribus præſtabunt iuramentum, quòd fideliter adminiſtrabunt officium ſuum.

Officium autem eorum eſt, accedere ad ſupputandas rationes adminiſtrationum locorum omnium Congregationis, cum Patribus Viſitatoribus, vnoquoque anno, & non ſolùm ſummatim ratiocinia inſpiciāt, verum omniū prouentuum, & expenſarum ſingulos articulos vulgò partitas minutatim conſiderabunt, ſcilicet an probè ſint poſiti, an duplicati, aut ſuperuacanei, an reditus poſſeſsionū, & Villarum collecti conueniant cum Diurnalibus Conuentuum.

Quando in rationibus ſubducendis aliquem errorē inueniunt, id primum ei, qui errorem commiſit, ſecretò indicent, & niſi is errorem agnoſcens ſubitò Conuentui ſatisfecerit, tunc rem omnem manifeſtabunt Patribus Viſitatoribus. Qui iuxta qualitatem culpæ ſontem punient, & procurabunt Monaſterii indemnitatem, ac ei debitam reſtitutionem fieri.

Calculatores in Diurnis nihil addant, aut inferant, veluti impenſam aliquam, vel rerum reſeruatarum iacturam,

ram, niſi obtenta expreſſa licentia Reuerendiſsimi Patris Generalis.

Quodſi fecerint, prǽterquam quod vt periuri mulctabuntur, careant etiam anno vno Canonicatu.

Inſuper antequam terminationem rationum Calculatores admittant, quam vulgò ſaldum dicunt, admoneant ſingulos, qui adminiſtrauerint, tam Procuratores, quam Villicos, vt conſulāt ſaluti animarum ſuarum, & ſi quid fraudauerint, aut retinent apud ſe ex adminiſtratione Cōuentus, reddant, ac deinde eos tactis ſcripturis ſub tali forma iurare conſtringant.

Ego N. iuro, quod vere, & fideliter omnium redituũ, & expenſarum exactam rationem tam dati, quam accepti reddidi, neque Eccleſiam aut Conuentum in aliquo defraudaui.

Et hic iurandi actus annotetur in Diurno.

Per hoc tamen non arctantur Superiores, quin ex legitima cauſa, ſi illis videbitur ſecundum Deum, & cōſcientiam ſuam, poſsint aliquid relinquere adminiſtratoribus pro libris, aut aliis rebus neceſſariis, illorum qualitate, & conditione inſpecta.

Procuratores autem, ſeu Villici, qui in ſuis adminiſtrationibus, ſiue in rebus, ſiue in pecuniis fraudem commiſiſſe conuicti fuerint, declarantur periuri, & alieni inuaſores, & tenentur ad reſtitutionem vt fures, & perpetuò careant omni regimine.

Cal-

Calculatoribus officiales vniuſcuiuſq; Conuentus neceſſaria itineris ſubminiſtrent, ita vt poſsint vbique locorum præſtare officium ſuum, & officiales deficientes Reuerẽdiſsimus Pater Generalis puniat, & nihilominus cogat, vt defectui ſuppleant.

De Calculatoribus particularibus Conuentuum. Caput XXVI.

Q*Vot annis, tempore ante meſſem opportuno, in ſingulis Conuentibus, per ſcrutinia eligantur à Canonicis duo fratres in Calculatores, inter quos deſumatur ſaltem vnus è Deputatis, & ſtatim electi ſinguli eorum coram Canonicis electoribus tenentur in manibus Prioris, tactis ſcripturis, præſtare iuramentum ſub tali forma.*

Ego N. nunc electus Calculator iuro, quòd exactè menſurare faciam omnes prouentus iuxta veram mẽſuram, qua vendi, & emi ſolent, & de omnibus veram, & ſinceram rationem Patribus Deputatis aſsignabo, & in reliquis etiam officium meum fideliter exercebo.

Et hic actus iurandi mandabitur ſcripturæ per Deputatos, quæ ab electis Calculatoribus ſubſcribetur, ac inter acta Monaſterii conſeruabitur.

Ad Villas tempeſtiuè proficiſcentur Calculatores, & quotidianis trituris aſsiſtent, & quando ab Areis remouẽtur fruges, quantitatẽ ablatã mẽſuratamq; deſcribent.

Comple-

Completa verò tota tritura, quæ ab immunditiis purgari opus eſt, cribrari faciant, & deinceps iuxta morem regionis, & modum menſurationis, quo venduntur, & emuntur, omnia, ſcilicet triticum, ſiliginem, milium, legumina, & reliquas fruges denuò menſurare faciant.

Vini ſimiliter, & olei veram quantitatem habere notatam procurabunt.

Et quando ſolitis menſuris veram quantitatem habere non eſt facile, per viros peritos ſaltem æſtimationem habere quantitatis non prætermittent. In ſuiſque ſyngraphis omnia fideliter annotabunt, ita vt Conuentus veram, & certam ſuorum prouentuum quantitatem ſciant, eaſque & à ſe, & à Deputatis ſubſcriptas Priori conſignabunt.

Ad præfatos etiam Calculatores pertinet ſingulis trimeſtribus vnà cum Deputatis diſtinctè, & articulatim inſpicere rationes, tam redituum, quam expenſarū, & ſupputatis rationibus ſubſcribere: ſyngraphaſq́; ipſas tam dati, quam accepti ſubſcriptas à Deputatis, & Calculatoribus, tenentur quotannis Priores deferre ad Capitulum, vel Diætam; & niſi detulerint, pro pœna reiiciũtur à dandis ſuffragiis; & ne fortè ſcripturæ Conuentuum aliquo caſu depereant, ſyngraphæ illæ, antequam per Priorem aliò deferantur, regiſtrentur in libro Cenuentus ad hoc ſpecialiter facto.

Calculatores verò deficientes in officio caſtigentur iuxta qualitatem culpæ.

S *Quod*

Quòd ſi qui inueniantur (quod Deus auertat) cũ Villicis colluſionem in occultandis reditibus feciſſe, re cognita deponantur ab officio, & per decennium voce actiua, & paſſiua priuentur, & ſi quid ex colluſione illa perceperint, cogantur reſtituere.

De officio Clauicularii. Caput XXVII.

IN quolibet Monaſteriorum eligatur ex ſcrutinio Canonicorum Collegii, aliquis venerabilis Pater in Clauiculariũ, qui electus, publicatus, abſque rationabili cauſa, non poſſit electionẽ repudiare.

Ipſe autem Clauicularius, & Rector, & Procurator reditus, & pecunias cuſtodiant, ſinguliq; vnam clauẽ quiſque ſuam, tam redituum, quam nummorum habeant: & librum habeat Clauicularius, in quo omnia, tum quæ apponuntur, tum quæ remouentur, fideliter deſcribantur.

Minores autem ſummas, & quotidianas, quæ impoſſibile eſſet, vt in Capſa ſingulis diebus reponerentur, & ex eadem extraherentur, ſaltem vnaquaq; hebdomada tũ in ratione accepti, tum in ratione dati, in libro deſcribat.

De Lectoribus, & lectionibus mẽſæ. Cap. XXVIII.

LEctores menſæ ſunt omnes, qui probati ſunt à Rectore, & Deputatis, ſinguliq; incipiẽtes à maiore gradatim ſua hebdomada legant: qui ſtudioſè procurabunt, vt ſuis Lectionibus auditoribus ſatiſfaciant.

faciant. Neque quiſquam audeat legere loco alterius, abſque licentia Superioris.

A legendo autem ſunt immunes Prior, Vicarius. Procurator, & Penarii cuſtos, & omnes, qui compleuerint viginti quinque annos in Congregatione.

Quando contingit Lectorem errare, nemo audeat eum corrigere, niſi Maior.

In Lectionibus hic ſit ordo, ſi dies proprium Euangeliũ habuerit, eius Homilia legatur.

Item Sermones (ſi eius diei adſunt) iuxta diſpoſitionem Superioris.

Legantur etiam vitæ, & paſsiones Sanctorum, aut aliquid ex ſacris Bibliis, iuxta temporum congruentiam, & beneplacitum Superioris.

Circa finem comeſtionis, aliquid lingua vernacula legatur, vt fratres etiam Conuerſi inde ædificentur; & ſpiritualiter paſcantur.

Singulis ſextis feriis legatur Regula Beati Patris Auguſtini, & ſaltem quater vnoquoque anno legatur præſens liber Conſtitutionum.

Quando eſt ieiunium, in ſero ad collationem, aliquid pium vernacula lingua legatur.

CONSTITVTIONVM CANONICORVM CONGREGAtionis S. Georgii in Alga Venetiarum.

DISTINCTIO QVARTA.

Quibus incumbat inquirere contra noxios, & in vincula eos coniicere. Caput Primum.

IN Congregatione noſtra contra ſontes inquirere, ad Reuerendiſsimum Generalem, & Viſitatores, aut ab ipſis delegatos pertinet.

Si quis autem ex noſtris fratribus præter prædictos, ex ſe, aut aliorum impulſu inquirere contra quemquam auſus fuerit, puniatur grauiter, & inquiſitiones factæ ſint nullæ, & inualidæ.

Non tamen hoc decreto intelligantur prohibiti Priores Conuentuum cum ſuis Deputatis, quin cauſa inueſtigandæ veritatis alicuius grauis perpetrati facinoris poſsint præbere iuramentum, & inquirere, & ſi opus ſit, etiam in carcerem aliquem coniicere ad coercendam malitiam, vſque dum ſaltem certior fiat Reuerendiſsimus Generalis, & ſtatuatur ab eo cum Viſitatoribus, quid in illa cauſa agendum ſit.

Interdictum etiam eſt, ne quiſquam quamuis Generalis, & Viſitator ſit, poſsit inquirere ſuper cauſis ſuorum conſan-

conſanguineorum, aut eorum, quibus habitum religionis tradiderunt, nevè interſint in ſententiis, & iudiciis contra tales; alioquin ſi ſecus factum fuerit, nullius momẽti erũt, tam proceſſus, quam ſententiæ latæ in fauorem huiuſmodi perſonarum.

Quinam autem Iudices futuri ſint in huiuſmodi cauſis, declaratur infra diſt. 5. cap. xxiiii.

Ad refrenandam erumpentem malorum audaciam, & vt iuſtitia optimum ſuum finem conſequatur, in quolibet Monaſterio noſtræ Confraternitatis ſit ſaltem carcer vnus aptè ædificatus, & munitus cum ſuo veſtibulo, & feneſtella, cum duabus clathris ferreis denſis, taliter diſpoſitis, vt illis, qui illic ad cuſtodiam aſſeruantur, nulla ſit ſpes effugii, Colloquii, litterarum, aut alterius adminiculi.

Si quis autem auxilium carcerato præſtiterit denunciando ei aliquid, aut conſulendo, aut ad laicos confugiendo, vt ipſi ei faueant, citra voluntatem Superiorum directè, vel indirectè, talis veluti fautor, aut conſcius criminis recludatur in carcerem, & arbitrio Superiorum puniatur iuxta qualitatem delicti, & perſonæ.

Sint etiam in ſingulis Conuentibus alii carceres conſtituti, in quibus detineri poſſint iuxta occaſiones ii, qui in pœnam ad carceres condemnati fuerint.

In ſingulis autem carceribus ſint aliquæ piæ, & ſacræ imagines in loco decenti cõſtitutæ, ante quas orare valeãt, qui in carceribus detinentur, & diuinũ officiũ perſoluere.

Eorum,

Comeſtio in terra, in medio Refectorii, quæ etiam quãdoque fit pane, & aqua: & quandoq; abſque obſonio.

Relegatio per vnum, vel plures dies in cella; & per mẽſes, & quandoque annos in Conuentu.

Verberatio propriæ perſonæ, quæ vulgò dicitur diſciplina; quæ denudatis ſcapulis fit in Refectorio, cum Pſalmis decretis à Superiore.

Semper autem ante inchoationem vniuſcuiuſque pœnitentiæ iudicialiter à Superioribus decretæ, præmittitur profeſſio culpæ, & comeſtio in terra in Refectorio.

Veſtis maioris vulgò tabarri ſuſpenſio, veſtimentorum per annum, vel plures priuatio.

Canonicatus abdicatio, quæ eſt vocis actiuæ, & paſſiuæ ſpoliatio ad præfinitum tempus, vel in perpetuum.

Eiectio à dandis ſuffragiis in Capitulo generali, vel in particulari.

Officiorum, aut dignitatum inhabilitatio, vel amiſſio.

Suſpenſio ab adminiſtratione ſacrorum.

Proſtratio ad portam Refectorii, dum omnes fratres exeunt.

Carcer ad cuſtodiam, & ad pœnam iuxta occaſionẽ, cui quandoq; iungitur diminutio victus, vel potus vini; & in grauioribus conſtringuntur rei manicis, vel compedibus, & aliis remediis à iure communi permiſſis.

Ad triremes mancipatio.

Cui priuatio tabarri infligitur, huic prohibitum eſt ire

per

per ciuitates, aut oppida, & talis inhabilis eſt ad omnes dignitates, & officia.

Qui priuantur Canonicatu, cõſequenter arcentur à dandis ſuffragiis, & ab omni ſpe cuiuſcumq; dignitatis, & officii tam in Conuentu, quàm extra, donec priuatio durat: & licet priuatus Canonicatu retineat in familia locũ ſuæ præcedentiæ, ſi euenerit Comitiorum tempore Vicariũ proficiſci ad Capitulum generale, talis tamen quamuis antiquior omnibus, regimen Conuentus obtinere non poteſt, & ideo in huiuſmodi caſu oporteret aliquem patrem eligi in Vicarium.

Quando infligitur pœna priuationis Canonicatus, vel alia quæ tẽpore præfigitur, intelligatur incipere eo die quo Reo publicata fuerit: & quando dicitur aliqua pœnitentia durare vſque ad Capitulum generale, intelligitur finire non ſtatim incœpto Capitulo, ſed omnino abſoluto, & perfecto Capitulo generali.

Qui non ſuſtinent onera regularia, qui vulgò dicũtur non facere obſeruantias, neque vitam communem cum aliis degunt, ſunt inhabiles ad omnes dignitates, niſi tamẽ ex priuilegio ab obſeruantiis exempti fuerint, vt dictũ eſt ſupra de Patribus emeritis, qui dum ſenſus integros habent, habiles ſunt ad omnes dignitates.

T De

De miniſtris menſæ. Caput XX.

MIniſtri menſæ ſint omnes Clerici, nondum ad ordinẽ presbyterii promoti, donec annos nouem in ſodalitio compleuerint, & conuerſi, qui nondum viginti-quinque annos in ſocietate finierint.

Singulique, tam Clerici, quam Conuerſi ſingulis hebdomadis, gradatim in officio deſeruiant.

De cuſtode Hoſpitii. Caput XXI.

CVſtos Hoſpitii deligatur ex familia, vir proximo benignus, charitatiuus, & timens Deum.

Cuius munus eſt cubicula Hoſpitii, lectiſternia, triclinium, lintea, & omnia, quæ illic ſunt, nitida, & munda conſeruare; & ita humaniter, ac benignè ſe gerere ad hoſpites, vt quantum per ſe fieri poteſt, charitate ædificatos dimittat.

De Veſtiario. Caput XXII.

VEſtiarius eligatur vir, qui ſit inſtructus ſarcinatoria arte, vt ſciat reſarcire pannos, eoſq; conſeruare ne corrumpantur.

Ad quem ſpectat procurare, vt ea, quæ immũda ſunt, lauentur, & ideo petat ab officialibus, aliiſq; Conuentus, quæ lauanda ſunt, eaq; numerato, & ſcripto lotori tradat, lotaq; deinde iuxta neceſſitatem diſtribuat.

Die

Die Sabbathi, Veſpere poſt cœnam, Mappas, Mappulaſq;, & mantilia, Penarii cuſtodi tradat lota, recipiatq; immunda, diligenter aduertens nequid deſit, tum ex iis quæ dat, tum ex iis quæ recipit.

Idem faciat cum aliis Miniſtris, vt ſcilicet vnicuique diſtribuat munda vtenſilia, & recipiat immunda.

Inuẽtarium rerum, quas ipſe cuſtodit, in libro habeat, & ſeorſum ſcribat, quæ noua fiunt, addito die in quo fiunt, vt cum Superiori videbitur, poſſit ſui muneris rationem reddere.

Linteorum tam Hoſpitii, quàm Dormitorii curam gerat, detq́; ſingulis menſibus cuiq; fratri mũda, recipiatq́; immunda, ac memor ſit ſe cuſtodire rẽ pauperũ Chriſti.

De Ianitore. Caput XXIII.

IAnitor eligatur vir diſcretus, qui ad ſatisfaciendum omnibus ſit aptus, & ad deferẽda, referendaque reſponſa ſit habilis.

Talem cum omnibus conuerſandi modum teneat, vt diſcretione, modeſtia, & ſpiritualibus verbis, ſingulos ædificatos, & contentos à ſe dimittere ſtudeat: propeq́; portam ſit eius cubiculum.

Si quando Prælati, aut clari, & honorati viri domum intrarint, curet, ſi commodè poſſit, vt ſacerdos aliquis eos comitetur, dum Superiorem certiorem facit.

Pauperibus eleemoſynas ad Ianuam petentibus beni-

R gnè

gnè reſpondeat, omniq; charitate ſatisfaciat: hoc enim cõmendat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt ſitientes, & eſurientes paſcamus.

Mulieres ſi quandò ad Ianuam accedant, paucis verbis expediat, & ſi quem ex collegio alloqui poſtulent, ad Eccleſiam eas mittat extra tempus diuinorum officiorum, idq; ſignificet cui debet; Rectori ſcilicet primum, & deinde cui ille iuſſerit.

Mulieres autem malæ famæ omnino non patiatur ad Ianuam moram trahere, ſignificetq; Rectori, ſi quando id contingeret.

Non permittat aliquos ex fratribus in limine portæ otioſos eſſe, neque inter ſe, vel cum aliis nugari.

Obſerata ſemper Ianua ſit, locaq; portæ vicina munda ſeruet.

Nihil cuiquam nunciabit inconſulto Rectore, aut Vicario, nihil intempeſtiuè, veluti cum in choro, aut ad menſam ſunt fratres, niſi tamen aut res eſſet neceſſaria, aut conditio mittentis aliud exigeret.

Si quis ab externis quæratur, qui domi non ſit, modeſtè intelligat, quis ſit ille, qui petit, & quid velit, vt redeunti, ſi opus ſit, ſignificare poſſit.

Nihil cuſtodiendum à quoquam externo recipiat abſque Prioris iuſſu.

Feſtinet ad Ianuam cum tintinnabulũ pulſari audit, neque quicquam ſit illi magis cordi, quàm vt citò ad Ianuam

nuam currat, cum pulſatum fuerit, ſciatq; ex ipſius ſedulitate, & negligentia maximam Monaſterii pendere, vel ſatisfactionem, vel querimoniam.

Portas domus ante noctem ſtatim, poſt pulſatam Angelicam ſalutationem, claudat, & exinde eas nemo aperiat niſi ipſe Ianitor de expreſſa licentia Superioris.

Obſerata autem Ianua inſpiciat vel ipſe Ianitor, vel alius officialis, quem ad hoc munus Rector deputauerit, per cubicula ſingulorum fratrum, an omnes domi ſint, vel aliquis foris remanſerit, & alibi pernoctet: videat etiā, an quiſquam aliquem exterum in ſuam cellam, vel in Conuentum introduxerit, & omnia Priori renunciet.

De clauibus Ianuarum cuſtodiendis, & reliquis ab ipſo agendis, faciat Ianitor, quod præceptum fuerit ei à Superiore.

De cuſtode valetudinarii aliàs infirmitorii.
Caput XXIIII.

CVſtos valetudinarii ex Collegio eligatur vir diſcretus, humanus, charitatiuus, patiens, & aptus ad ſeruitium infirmorū, cui detur vnus, aut plures adiutores iuxta neceſſitatem.

Ipſeq; in primis ſtudeat inducere infirmos ad ſuſcipienda ſalutaria pœnitentiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramenta.

Bene curet infirmos, ne ſua negligentia patiantur ali-

quid incommodi, vel ſiniſtri, prouideat, vt quæ ægrotanti danda ſunt, & opportunè præparentur, & bona ſint.

Curet, vt ægrotantium lecti concinnè ſternantur, cubicula ſint valdè munda, & æſtate ramuſculis, & herbarum viriditatibus ornentur.

Decumbentes oblectet, & exhilarare ſtudeat, non ſolũ rebus à medico probatis, ſed verbis etiam ſpiritualibus, & lætis.

Procuret, vt à Superiore mittantur quotidie aliqui patres modeſti, qui viſitent ægrotos, ac recreent, operaq́; miſericordiæ exerceant.

Nihil omnino eorum, quæ à Medico præſcribũtur, prætermittat, aut mutet, ordinem etiam obſeruet temporum præfixorum, quibus prandium, cœna, ſyrupi, cæteraque medicamenta danda ſunt.

Si morbus ſit contagioſus, ſupellex ſeparari debet, ne cuiquam noceat.

Patienter, & cum charitate tum ipſe, tum ſocii ferant moleſtias, & difficultates, quæ in curandis infirmis accidere ſolent.

Conualeſcentes è lecto ſurgere non permittat, priuſquã id Medicus conceſſerit, & operam det, vt ex Medicorum præſcripto victus rationem habeant, quoad vires bene reparauerint.

Cum grauitas morbi id poſtulauerit, Superiorem certiorem faciat, vt ægrotus antequam iudicii vſu priuetur,

ſacra-

ſacramentum extremæ vnctionis ſuſcipiat, & vt orationibus omnium domeſticorum valde peculiaribus iuuari poſsit, & eo magis, quo morti propinquior fuerit, pro eo frequens oratio fiat.

Cum primum aliquis vita functus fuerit, ſacriſtã admoneat, prouideatq́;, vt corpus defuncti ad ſepulturã conſueto more præparetur, vt ſpatio conuenienti detentum, cum Priori viſum fuerit, ſepeliatur.

In hoc autem conſcientias Priorum, & Procuratorũ valde oneramus, ne aut incuria, aut auaritia deſint infirmis, aut infirmariis præſtare auxilium; & quæcumq; ex charitate, aut ex officio poſſunt, & debent, ne infirmi conturbentur, ſi debitum ſeruitutis, & charitatis ſibi nõ exhiberi ſentiant, & ne infirmariis opportuno auxilio deſtitutis, nimiæ vigiliæ, immoderatiq; labores, aut morbi contagia noceant.

Quare quilibet ex familia, quando requiritur à Superiore, vt ſuas partes infirmis, aut infirmariis præſtet, hilariter ſuum officium ſuſcipiat, nulliuſq; admittatur in hoc recuſatio: ſed omni charitate pergat vnuſquiſq; ad perſoluendum munus ſuum, memor ſẽtẽtiæ Euangelicæ dicentis, eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

De

De Calculatoribus generalibus. Caput XXV.

IN primis, antequam Calculatores generales incipiant partes ſuas agere, in manibus Reuerendiſsimi Patris Generalis, coram Viſitatoribus præſtabunt iuramentum; quòd fideliter adminiſtrabunt officium ſuum.

Officium autem eorum eſt, accedere ad ſupputandas rationes adminiſtrationum locorum omnium Congregationis, cum Patribus Viſitatoribus, vnoquoque anno, & non ſolùm ſummatim ratiocinia inſpiciat, verum omniũ prouentuum, & expenſarum ſingulos articulos vulgò par titas minutatim conſiderabunt, ſcilicet an probè ſint poſiti, an duplicati, aut ſuperuacanei, an reditus poſſeſsionũ, & Villarum collecti conueniant cum Diurnalibus Conuentuum.

Quando in rationibus ſubducendis aliquem errorẽ inueniunt, id primum ei, qui errorem commiſit, ſecretò indicent, & niſi is errorem agnoſcens ſubitò Conuentui ſatisfecerit, tunc rem omnem manifeſtabunt Patribus Viſitatoribus. Qui iuxta qualitatem culpæ ſontem punient, & procurabunt Monaſterii indemnitatem, ac ei debitam reſtitutionem fieri.

Calculatores in Diurnis nihil addant, aut inferant, veluti impenſam aliquam, vel rerum reſeruatarum i actu-

ram, niſi obtenta expreſſa licentia Reuerendiſsimi Patris Generalis.

Quod ſi fecerint, præterquam quod vt periuri mulctabuntur, careant etiam anno vno Canonicatu.

Inſuper antequam terminationem rationum Calculatores admittant, quam vulgò ſaldum dicunt, admoneant ſingulos, qui adminiſtrauerint, tam Procuratores, quam Villicos, vt conſulãt ſaluti animarum ſuarum, & ſi quid fraudauerint, aut retinent apud ſe ex adminiſtratione Cõuentus, reddant, ac deinde eos tactis ſcripturis ſub tali forma iurare conſtringant.

Ego N. iuro, quod vere, & fideliter omnium redituũ, & expenſarum exactam rationem tam dati, quam accepti reddidi, neque Eccleſiam aut Conuentum in aliquo defraudaui.

Et hic iurandi actus annotetur in Diurno.

Per hoc tamen non arctantur Superiores, quin ex legitima cauſa, ſi illis videbitur ſecundum Deum, & cõſcientiam ſuam, poſsint aliquid relinquere adminiſtratoribus pro libris, aut aliis rebus neceſſariis, illorum qualitate, & conditione inſpecta.

Procuratores autem, ſeu Villici, qui in ſuis adminiſtrationibus, ſiue in rebus, ſiue in pecuniis fraudem commiſiſſe conuicti fuerint, declarantur periuri, & alieni inuaſores, & tenentur ad reſtitutionem vt fures, & perpetuò careant omni regimine.

Cal-

Calculatoribus officiales vniuſcuiuſq; Conuentus neceſſaria itineris ſubminiſtrent, ita vt poſsint vbique locorum præſtare officium ſuum, & officiales deficientes Reuerẽdiſsimus Pater Generalis puniat, & nihilominus cogat, vt defectui ſuppleant.

De Calculatoribus particularibus Conuentuum. Caput XXVI.

QVotannis, tempore ante meſſem opportuno, in ſingulis Conuentibus, per ſcrutinia eligantur à Canonicis duo fratres in Calculatores, inter quos deſumatur ſaltem vnus è Deputatis, & ſtatim electi ſinguli eorum coram Canonicis electoribus tenentur in manibus Prioris, tactis ſcripturis, præſtare iuramentum ſub tali forma.

Ego N. nunc electus Calculator iuro, quòd exactè menſurare faciam omnes prouentus iuxta veram mẽſuram, qua vendi, & emi ſolent, & de omnibus veram, & ſinceram rationem Patribus Deputatis aſsignabo, & in reliquis etiam officium meum fideliter exercebo.

Et hic actus iurandi mandabitur ſcripturæ per Deputatos, quæ ab electis Calculatoribus ſubſcribetur, ac inter acta Monaſterii conſeruabitur.

Ad Villas tempeſtiuè proficiſcentur Calculatores, & quotidianis trituris aſsiſtent, & quando ab Areis remouẽtur fruges, quantitatẽ ablatã mẽſuratamq; deſcribent.

Comple-

Completa verò tota tritura, quæ ab immunditiis purgari opus eſt, cribrari faciant, & deinceps iuxta morem regionis, & modum menſurationis, quo venduntur, & emuntur, omnia, ſcilicet triticum, ſiliginem, milium, legumina, & reliquas fruges denuò menſurare faciant.

Vini ſimiliter, & olei veram quantitatem habere notatam procurabunt.

Et quando ſolitis menſuris veram quantitatem habere non eſt facile, per viros peritos ſaltem æſtimationem habere quantitatis non prætermittent. In ſuiſque ſyngraphis omnia fideliter annotabunt, ita vt Conuentus veram, & certam ſuorum prouentuum quantitatem ſciant, eaſque & à ſe, & à Deputatis ſubſcriptas Priori conſignabunt.

Ad præfatos etiam Calculatores pertinet ſingulis trimeſtribus vnà cum Deputatis diſtinctè, & articulatim inſpicere rationes, tam redituum, quam expenſarũ, & ſupputatis rationibus ſubſcribere: ſyngraphaſq; ipſas tam dati, quam accepti ſubſcriptas à Deputatis, & Calculatoribus, tenentur quotannis Priores deferre ad Capitulum, vel Diætam; & niſi detulerint, pro pœna reiiciũtur à dandis ſuffragiis; & ne fortè ſcripturæ Conuentuum aliquo caſu depereant, ſyngraphæ illæ, antequam per Priorem aliò deferantur, regiſtrentur in libro Conuentus ad hoc ſpecialiter facto.

Calculatores verò deficientes in officio caſtigentur iuxta qualitatem culpæ.

Quòd ſi qui inueniantur (quod Deus auertat) cũ Villicis colluſionem in occultandis reditibus feciſſe, re cognita deponantur ab officio, & per decennium voce actiua, & paſſiua priuentur, & ſi quid ex colluſione illa perceperint, cogantur reſtituere.

De officio Clauicularii. Caput XXVII.

IN quolibet Monaſteriorum eligatur ex ſcrutinio Canonicorum Collegii, aliquis venerabilis Pater in Clauiculariũ, qui electus, publicatus, abſq; e rationabili cauſa, non poſſit electionẽ repudiare.

Ipſe autem Clauicularius, & Rector, & Procurator reditus, & pecunias cuſtodiant, ſinguliq; vnam clauẽ quiſque ſuam, tam redituum, quam nummorum habeant: & librum habeat Clauicularius, in quo omnia, tum quæ apponuntur, tum quæ remouentur, fideliter deſcribantur.

Minores autem ſummas, & quotidianas, quæ impoſſibile eſſet, vt in Capſa ſingulis diebus reponerentur, & ex eadem extraherentur, ſaltem vnaquaq; hebdomada tũ in ratione accepti, tum in ratione dati, in libro deſcribat.

De Lectoribus, & lectionibus mẽſæ. Cap. XXVIII.

LEctores menſæ ſunt omnes, qui probati ſunt à Rectore, & Deputatis, ſinguliq; incipiẽtes à maiore gradatim ſua hebdomada legant: qui ſtudioſè procurabunt, vt ſuis Lectionibus auditoribus ſatiſfaciant.

faciant. Neque quiſquam audeat legere loco alterius, abſque licentia Superioris.

A legendo autem ſunt immunes Prior, Vicarius. Procurator, & Penarii cuſtos, & omnes, qui compleuerint viginti quinque annos in Congregatione.

Quando contingit Lectorem errare, nemo audeat eum corrigere, niſi Maior.

In Lectionibus hic ſit ordo, ſi dies proprium Euangeliū habuerit, eius Homilia legatur.

Item Sermones (ſi eius diei adſunt) iuxta diſpoſitionem Superioris.

Legantur etiam vitæ, & paſsiones Sanctorum, aut aliquid ex ſacris Bibliis, iuxta temporum congruentiam, & beneplacitum Superioris.

Circa finem comeſtionis, aliquid lingua vernacula legatur, vt fratres etiam Conuerſi inde ædificentur; & ſpiritualiter paſcantur.

Singulis ſextis feriis legatur Regula Beati Patris Auguſtini, & ſaltem quater vnoquoque anno legatur præſens liber Conſtitutionum.

Quando eſt ieiunium, in ſero ad collationem, aliquid pium vernacula lingua legatur.

CONSTITVTIONVM CANONICORVM CONGREGAtionis S. Georgii in Alga Venetiarum.

DISTINCTIO QVARTA.

Quibus incumbat inquirere contra noxios, & in vincula eos coniicere. Caput Primum.

IN Congregatione noſtra contra ſontes inquirere, ad Reuerendiſsimum Generalem, & Viſitatores, aut ab ipſis delegatos pertinet. Si quis autem ex noſtris fratribus præter prædictos, ex ſe, aut aliorum impulſu inquirere contra quemquam auſus fuerit, puniatur grauiter, & inquiſitiones factæ ſint nullæ, & inualidæ.

Non tamen hoc decreto intelligantur prohibiti Priores Conuentuum cum ſuis Deputatis, quin cauſa inueſtigandæ veritatis alicuius grauis perpetrati facinoris poſsint præbere iuramentum, & inquirere, & ſi opus ſit, etiam in carcerem aliquem coniicere ad coercendam malitiam, vſque dum ſaltem certior fiat Reuerendiſsimus Generalis, & ſtatuatur ab eo cum Viſitatoribus, quid in illa cauſa agendum ſit.

Interdictum etiam eſt, ne quiſquam quamuis Generalis, & Viſitator ſit, poſſit inquirere ſuper cauſis ſuorum conſan-

conſanguineorum, aut eorum, quibus habitum religionis tradiderunt, nevè interſint in ſententiis, & iudiciis contra tales; alioquin ſi ſecus factum fuerit, nullius mométi erũt, tam proceſſus, quam ſententia lata in fauorem huiuſmodi perſonarum.

Qui nam autem Iudices futuri ſint in huiuſmodi cauſis, declaratur infra diſt. 5. cap. xxiiii.

Ad refrenandam erumpentem malorum audaciam, & vt iuſtitia optimum ſuum finem conſequatur, in quolibet Monaſterio noſtræ Confraternitatis ſit ſaltem carcer vnus aptè ædificatus, & munitus cum ſuo veſtibulo, & feneſtella, cum duabus clathris ferreis denſis, taliter diſpoſitis, vt illis, qui illic ad cuſtodiam aſſeruantur, nulla ſit ſpes effugii, Colloquii, litterarum, aut alterius adminiculi.

Si quis autem auxilium carcerato præſtiterit denunciando ei aliquid, aut conſulendo, aut ad laicos confugiendo, vt ipſi ei faueant, citra voluntatem Superiorum directè, vel indirectè, talis veluti fautor, aut conſcius criminis recludatur in carcerem, & arbitrio Superiorum puniatur iuxta qualitatem delicti, & perſonæ.

Sint etiam in ſingulis Conuentibus alii carceres conſtituti, in quibus detineri poſſint iuxta occaſiones ii, qui in pœnam ad carceres condemnati fuerint.

In ſingulis autem carceribus ſint aliquæ piæ, & ſacræ imagines in loco decenti cõſtitutæ, ante quas orare valeãt, qui in carceribus detinentur, & diuinũ officiũ perſoluere.

Eorum,

Eorum, qui in vincula coniiciũtur, praxis ſic ſe habet.

In criminibus perpetratis, Rector Generalis, & Viſitatores detrudunt in carcerem reos, & legitimis indiciis infamatos.

Priores Conuentuum cum Deputatis in eiſdem criminibus idem poſſunt, maximè cum periculum eſt in mora.

Si autem aliquis ex Deputatis, vel ex aliis fratribus vocatus à Superiore ad tale munus exequendum in caſibus, in quibus Rector procedere vult contra Reum, vel ex delegatione Reuerendiſsimi Generalis, vel ex communi conſenſu maioris partis Deputatorum, noluerit adeſſe, ipſo facto decidat ab officio, & biennio careat voce actiua, & paſsiua.

In caſibus autem minoris ponderis, prout eſt inobedientia cõtra Rectores, aut aliud leuius erratum, poſt primã, & ſecundam admonitionem nolentes reſipiſcere, & debitam ſatisfactionem præbere, coniiciant Superiores Conuentuum in carcerem, vt ſuo malo & incommodo ad ſanitatem reducantur.

Quando autem aliquis iuſſus fuerit ire in carcerem à ſuis Superioribus, & noluerit obedire, in tali caſu, inobediẽtem illum debet Superior omni via, & modo, quibus melius poteſt, in arctum carcerem, aut in ergaſtulum retrudere, & ibi diutius ſub pœnitentia retinere, vt diſcat eſſe obediens, & à contumaciæ vitio purgetur.

Quòd ſi nullo modo permiſerit ſe capi, & in carcerem

coniici,

coniici, ſed potius fuga à Monaſterio ſibi impunitatē quæſiuerit, hic citetur tribus vicibus, in tribus diebus factis ad comparendum, affixis citationibus ad Ianuam Capituli, & niſi compareat, finitis citationibus infra triduum declaretur omnino incorrigibilis, & pœnis incorrigibilium ſubiaceat.

De pœnis, quæ ob conſeruationem regularis diſciplinæ in Congregatione noſtra ex occaſionibus frequentantur. Caput II.

Pœnæ, quæ in Congregatione noſtra ob conſeruationē regularis diſciplinæ imponi ſolent, ſunt hæ: Profeſſio propriæ culpæ in Refectorio in initio refectionis.

Profeſſio item propriæ culpæ in choro completo officio, quando aliquod erratum ab aliquo commiſſum eſt: niſi tamen Rector eam ad Refectorium remittat.

Profeſſio demum propriæ culpæ in Capitulo, cum ibi adunantur fratres à Superiore.

In cunctis autem profeſſionibus culparum pœnitentiæ decretæ humiliter ſuſcipiantur, quæ iuxta qualitatem errorum ſolēt dari, vt potè vnius, vel plurium Pſalmorum recitatio, vel genibus flexis, vel brachiis extēſis in modum crucis in medio Chori, ſiue Capituli, ſiue Refectorii.

Deoſculatio pedum, vel quorumdam, vel omnium fratrum ad menſam ſedentium.

Comeſtio

Comeſtio in terra, in medio Refectorii, quæ etiam quãdoque fit pane, & aqua: & quandoq; abſque obſonio.

Relegatio per vnum, vel plures dies in cella; & per mẽſes, & quandoque annos in Conuentu.

Verberatio propriæ perſonæ, quæ vulgò dicitur diſciplina; quæ denudatis ſcapulis fit in Refectorio, cum Pſalmis decretis à Superiore.

Semper autem ante inchoationem vniuſcuiuſque pœnitentiæ iudicialiter à Superioribus decretæ, præmittitur profeſsio culpæ, & comeſtio in terra in Refectorio.

Veſtis maioris vulgò tabarri ſuſpenſio, veſtimentorum per annum, vel plures priuatio.

Canonicatus abdicatio, quæ eſt vocis actiuæ, & paſſiuæ ſpoliatio ad præfinitum tempus, vel in perpetuum.

Eiectio à dandis ſuffragiis in Capitulo generali, vel in particulari.

Officiorum, aut dignitatum inhabilitatio, vel amiſsio.

Suſpenſio ab adminiſtratione ſacrorum.

Proſtratio ad portam Refectorii, dum omnes fratres exeunt.

Carcer ad cuſtodiam, & ad pœnam iuxta occaſionẽ, cui quandoq; iungitur diminutio victus, vel potus vini, & in grauioribus conſtringuntur rei manicis, vel compedibus, & aliis remediis à iure communi permiſsis.

Ad triremes mancipatio.

Cui priuatio tabarri infligitur, huic prohibitum eſt ire

per

per ciuitates, aut oppida, & talis inhabilis eſt ad omnes dignitates, & officia.

Qui priuantur Canonicatu, cõſequenter arcentur à dandis ſuffragiis, & ab omni ſpe cuiuſcumq; dignitatis, & officii tam in Conuentu, quàm extra, donec priuatio durat: & licet priuatus Canonicatu retineat in familia locũ ſuæ præcedentiæ, ſi euenerit Comitiorum tempore Vicariũ proficiſci ad Capitulum generale, talis tamen quamuis antiquior omnibus, regimen Conuentus obtinere non poteſt, & ideo in huiuſmodi caſu oporteret aliquem patrem eligi in Vicarium.

Quando infligitur pœna priuationis Canonicatus, vel alia quæ tẽpore præfigitur, intelligatur incipere eo die quo Reo publicata fuerit: & quando dicitur aliqua pœnitentia durare vſque ad Capitulum generale, intelligitur finire non ſtatim incœpto Capitulo, ſed omnino abſoluto, & perfecto Capitulo generali.

Qui non ſuſtinent onera regularia, qui vulgò dicũtur non facere obſeruantias, neque vitam communem cum aliis degunt, ſunt inhabiles ad omnes dignitates, niſi tamẽ ex priuilegio ab obſeruantiis exempti fuerint, vt dictũ eſt ſupra de Patribus emeritis, qui dum ſenſus integros habent, habiles ſunt ad omnes dignitates.

De tribus modis puniendi delinquentes. Caput III.

PRimo, quando aliquis ex noſtra ſodalitate conuictus fuerit de crimine, ob quod in foro ſæculari morte plectendus eſſet, talis priuatus habitu Ordinis perpetuis mancipetur triremibus.

Secundò, incorrigibilis, examinatis fideliter eius exceſſibus, & ita compertus, & declaratus, habitu ſpoliatus expellatur à Congregatione.

Tertiò, ſi quis aliter deliquerit, iuxta conſtitutiones à Superioribus puniatur.

Hæc tria capita cõfirmata ſunt per Litteras Pii V. ſub die prima Aprilis anni MDLXVII. & Gregorii XIII. ſub die xx. Ianuarii anni MDLXXXII. ad quas habeatur relatio, & recurſus, quando opus fuerit.

De vitiis linguæ, vt detractione, contumelia, blaſphemia, & de eorum pœnis. Caput IIII.

CAueat vnuſquiſque ne aut lingua, aut aures habeat prurientes, id eſt ne aut ipſe aliis detrahat, aut alios audiat detrahentes.

Quoniam autem æquum eſt, vt quos diuinus amor à malo non reuocat, ſaltem pœna cohibeat:

Iccircò ſtatuitur, ſi quis ex fratribus generaliter ſodalitati noſtræ apud exteros detrahet, aut reuelabit ſecreta

ipſius

ipſius Congregationis, aut alterius negotii, propter quod poſſit oriri Congregationi, aut alicui Conuentui damnum non leue: quinquennio priuetur voce actiua, & paſſiua ſine ſpe gratiæ.

Si autem detractor huiuſmodi non ſit Canonicus, aut iam ſit Canonicatu priuatus, careat veſtimẽtis vnius anni, & eodem tempore non exeat è ſeptis Conuentus, & per annos quinque vltra non progrediatur ad ordines ſacros. Conuerſus verò habitu ſpolietur, & arceatur à ſodalitio, niſi ex indulgentia illi pœna mitigetur.

At ſi quis famæ alicuius particularis detrahet, vel crimen occultum alicui priuato manifeſtabit contra ordinẽ charitatis, conuictus detractor profiteatur ſuam culpam in Refectorio, & ſemel comedat in terra, trienniocq; careat Canonicatu.

Clericus vero nõ Canonicus careat ſpe promotionis ad ordines ſacros per triennium; & Conuerſus biennio veſtimentis priuetur.

Vt autem curioſitas refrenetur in poſterum, nemo ex fratribus noſtris poſſit ſcribere litteras cuicumque perſonæ, neque litteras recipere ab aliquo abſq; licentia Superioris, exceptis officialibus Conuentuum ideſt Prioribus, Vicariis, & Procuratoribus, & Villicis, ex occaſione ſuorum officiorum, & Patribus priuilegiatis, de quibus agitur in capite xvii. Diſtinctionis Tertiæ.

Qui ſecus fecerit, pro prima vice in Refectorio profi-

teatur ſuam culpam, & comedat in terra, & per menſem non exeat à Conuentu.

Pro ſecunda vice repetat culpam in Refectorio, & terrenam comeſtionem ſed in pane tãtum, & aqua, & manſionem domi menſtruam.

Pro tertia in Refectorio ſuum recidiuum crimen proferat, & omnibus ſextis feriis ſemeſtris temporis comedat in terra, neq; illo ſemeſtri exeat à ſeptis Conuentus.

Quod ſi rurſus inciderit in idem crimen, detineatur in carceribus & grauius puniatur arbitrio Superioris.

Et ſi in præfatis litteris inſcripta reperiatur aliqua detractio, vel Superiorum, ſeu aliorum infamatio, tunc puniatur diffamator tamquam confector libelli famoſi.

Si quis autem motus bono Zelo, præmiſſa admonitione Euangelica, ſi eam iudicauerit profuturam, quando proprius Rector non vult, aut non poteſt corrigere erratum, denunciauerit per litteras alicuius fratris malefactũ Rectori generali, aut Viſitatoribus, non comprœhenditur ſub hac pœna, cum ex debito propriæ conſcientiæ quilibet teneatur pro virili ſua portione ad emendationem malorum.

Quãdo verò euenerit in ſodalitio ex altercatione inter immorigeratos, vt quis contumelioſe exprobret alicui mẽdacium dicendo ei, mentiris, talis contumelioſus petat veniam à læſo, profiteatur ſuam culpam, & comedat ſemel in terra.

In omnibus tranſgreſsionibus linguæ, certa, & abſoluta

norma

norma non poteſt dari, quoniam ex grauitate iniuriæ, & ex qualitate perſonæ grauior fit culpa, & pœna ſimiliter aggrauari debet.

Conuiciis quandoque laceſsitur innocens abſque cauſa, vt verbi gratia interdum quis indebitè, & indecenter exprobrat alicui Patri, ſibi aliquam pœnam iniuſtè ab eo illatam fuiſſe, propter quod læditur dignitas officialium, & ideo talis improperans debet condigna pœna mulctari.

Quandoq; etiam aliquis præbet occaſionem iurgii, ideo vna certa regula de omnibus ſtatui non poteſt: ſed Superiores inuigilent, & turbatores pacis ſeuerè caſtigent, vt ſi virtute non perſiſtunt fratres in officio, contineantur ſaltem formidine pœnæ.

Si quis blaſphemaſſe, (quod Deus auertat) conuictus fuerit, cum hoc ſit iure diuino, & naturali prohibitum, ſi quidem atrox blaſphemia fuerit, pro prima vice carceri mancipetur per menſem, & ieiunet in pane, & aqua ſingulis ſextis feriis.

Quod ſi iterauerit delictum, priuetur voce actiua, & paſsiua per annum, & luat pœnam duorum menſium in carcere, eodem modo ieiunans in ſingulis ſextis feriis.

Si tertio relapſus fuerit, duplicetur ſecunda pœna, ideſt carceris detentio, & vocis priuatio.

Blaſphemia verò ſecundum vulgares dicta, quæ verè non eſt niſi iuramentum, vt puta, cum dicitur ad ſanguinem Chriſti, mitius puniatur.

De

De ludis. Caput V.

Quia ſæpe ſub nomine virtutũ vitia ſe inſinuant, & excuſant, volumus, vt non quiuis ludus ſub ſpecie recreationis exerceatur; ſed declaramus omnem ludum, qui fortunæ ſoli innititur, per quem ſæpe datur occaſio conquerendi, vel ludum, qui non decet grauitatem, vel modeſtiam virorum religioſorum, omnino eſſe prohibitum.

Quòd ſi quis deprahenſus fuerit, aut conuictus tali ludo ſe immiſcuiſſe, careat voce actiua, & paſſiua per annum, & faciat diſciplinam vnam in Refectorio.

Prælati etiam ludos huiuſmodi ſcienter permittentes vacent per annum à Canonicatu.

Præcipuè autem ludus aleæ, ideſt taxillorum, aut chartarum, quia ſcandalum generat, & conuenticula fouet, ſub hac lege prohibitus cenſeatur.

Ludum verò ſcachorum, ac etiam pilæ, & ſimiles ita concedimus, vt neque diebus pœnitentiæ ludatur, neque etiam magni temporis iacturam faciãt ludentes, neq; clamores excitent; ſed in locis ab aliis ſegregatis, & tandem non niſi cum bona venia Superioris ludant.

De

De quibuſdam pœnis contra incuriam Rectorum. Caput VI.

SI Superiores Conuentuum admoniti rationabiliter de cõuerſatione ſuſpecta, quam aliquis ex domeſticis tenet, huic malo non prouiderint, cõdignis pœnis puniantur.

Item Prior ipſe, neque ſolus, neque cum aliis poteſt aſſumere aliquam cauſam commiſſam, vel delegatam, abſque licentia Reuerendiſsimi Generalis, & Viſitatorum.

Quando autẽ commiſsio eſſet Apoſtolica, opportunũq; videretur, vt eam non aſſumeret, excuſet ſe humiliter ex priuilegio octauo Eugenii IIII. quouſque rurſus intelligat voluntatem ſanctiſsimi D.N.Papæ.

Tenetur etiam Superior iuxta conditionem vniuſcuiuſque cellas ſuo tempore diſtribuere, dare nouas veſtes fratribus, & exigere veteres, quas ſi quãdo relaxet ex indulgentia alicui, conſideret cui id permittat, vt ſcilicet indigenti, & non immerito beneficium tribuat.

Nemo è Superioribus vel aliis Conuentus audeat aliquid apparatus ſacrarii, alicuius æſtimationis, vel momẽti, exteris commodare, abſque conſenſu Deputatorũ: neq; ſimiliter abſque eorum placito recipere aliquid alicuius momenti in depoſitum: ſi quid verò recipitur cum Deputatorum conſenſu, ſub inuentario recipiatur, & cum omni diligentia, & ſecuritate cuſtodiatur, ac procuret Superior,

vt

vt celeriter, & fideliter reſtituatur, qui ſecus fecerit, iuxta culpam puniatur.

Superiores permittentes aliquem ſuorum contubernalium perſonaliter agitare aliquam litem, vel tutelam conſanguineorum, vel aliorum, priuantur per annum Canonicatu, ipſi etiam litigantes, vel tutelam exercentes per annum ſpoliantur Canonicatu, & per idem tempus non exeant è ſeptis Conuentus.

Item ſub pœna priuationis Canonicatus per annum, tenentur Rectores, qui animarum curam obtinent, ſeptimo quoque anno procurare, vt eorum filii ſpirituales ſacramento confirmationis muniantur, vel ab Epiſcopo loci, vel ab alio de ipſius conſenſu.

Sub eadem animaduerſione conſtringantur Rectores dare operam, vt in ſingulis Conuentibus, vbi fieri poteſt, ſaltem Magiſtri Grammaticæ, & Cantus non deſint pro eruditione iuniorum, & indigentium.

Studeant itẽ Rectores, vt libri publicæ bibliothecæ, quæ in nonnullis Monaſteriis habetur, bene cuſtodiantur, & exteris non accomodentur, neque inde amoueantur niſi ex cauſa neceſſaria à Reuerendiſſimo Generali, & Viſitatoribus cognita, & probata. Eorumq́ue omnium librorum inuentarium fiat, & in Archiuio cum aliis ſcripturis Monaſterii aſſeruetur.

Præficiatq́ue Rector eidem bibliothecæ aliquem ex Canonicis in cuſtodem, qui huic muneri incumbat, & curet,

ret, vt paulatim librorum numerus augeatur, ad commoditatem Canonicorum ſtudere volentium.

Contrafacientes autem puniantur pro modo culpæ à Reuerendiſsimo Generali tempore viſitationum.

In Monaſteriis autem, in quibus publicæ Bibliothecæ non ſunt, prouideant ſaltem Priores, ne aliqui boni libri deſint, vt initium aliquod futuræ Bibliothecæ detur, quæ proceſſu temporis facilè conſtitui, & ampliari poterit.

Rectoribus item præceptum eſt, ne vltra menſem differant publicare pœnitentiam alicui Reo decretam, ſub pœna comedendi ſemel in terra in Comitiis generalibus, & non egrediendi per ſemeſtre tempus è ſeptis Monaſterii.

De ſupplemento annuali lineæ ſupellectilis. Caput VII.

PRocuratores Conuentuum ſancti Georgii in Alga Venetiarum, ſancti Saluatoris de Lauro Romæ, Sanctæ Mariæ ab Horto Venetiis, Sanctæ Mariæ in Vantio Patauii, Sancti Petri Oliueti Brixiæ, Sãctorum Firmi, & Ruſtici Leonici Diœceſis Vicentinæ, quotannis ſinguli procurabunt fieri duo ſuperpellicea, & paria quatuor linteorum pro lectis Dormitorii, & duo paria pro Hoſpitio, quæ omnia ſint ex tela linea decenti.

Itẽ duas culcitras laneas pro Dormitorio, & tres Mappas pro menſis Refectorii, & vnam Mappam pro altaribus, mantilia pro detergendis manibus tria, quorum duo

aſsignentur Refectorio, & vnum ſacrario: Mappulas pro Refectorio triginta.

Procurator Conuentus ſancti Georgii in Braida Veronæ procurabit fieri duo ſuperpellicea, paria quatuor linteorum pro Dormitorio, & paria tria pro Hoſpitio; culcitras laneas duas in Dormitorio, Mappas tres pro Refectorio, & ſaltem vnā pro altaribus, Mappulas quinquaginta pro menſis, & Mantilia quatuor pro manibus detergendis, quorum duo aſsignentur Refectorio, & duo Sacrario.

In reliquis Conuentibus Procurator quiſq; vnum ſuperpelliceum, paria tria linteorū pro Dormitorio, & par vnum pro Hoſpitio, duas Mappas, & Mappulas viginti & duo Mantilia pro manibus detergendis in Refectorio, & vnum Mantilæ pro Sacrario, & culcitram vnam laneam pro Dormitorio.

Quæ omnia fiant iuxta laudabilem Monaſteriorum vſum, & deſcribantur in Catalogo, & cuſtodienda detur Veſtiario, qui in Arca munita claui, ea cuſtodire ſolet; Culcitræ verò laneæ in Dormitorio remaneant.

Procuratores deficientes ab hoc præſcripto careant, pro pœna, duobus annis voce actiua, & paſsiua.

Quibus

Quibus pœnis conſtringantur Priores & Procuratores in nonnullis. Caput VIII.

STudeant in primis Priores, & Procuratores, vt quorumcumque inſtrumentorũ, cuiuſuis qualitatis, quæ in libro ad hoc deſtinato, ſingulis annis, deſcripta fuerint à Notariis, prout ſupra ſtatutum eſt Diſtin. ſecũda Capite xxi. fidẽ publicã deferant huiuſmodi deſcriptionis ad Capitulũ generale, vel Diætã quotannis: deficiẽtes verò ab hoc præſcripto, tã Priores, quam Procuratores, reiiciantur ibidem à dandis ſuffragiis, & biennio priuentur Canonicatu. Qua priuatione Canonicatus innodantur iidem, ſi abſq; expreſſo conſenſu Capituli ſui Conuentus, ne dum fecerint, ſed etiam facere attentauerint aliquam permutationem bonorum ſtabilium.

Si euenerit, quòd aliquis Conuentus ex noſtris cõſtituatur hæres ab aliquo in bonis, præſertim mobilibus, Priores, & Procuratores in iis ita ſe debent gerere, vt primum Inuentarium fidele fieri procurent cum aſsiſtentia Deputatorum, & vnà cum ipſorum matura deliberatione, bona hæreditatis deſtinentur in publicã vtilitatẽ Monaſterii.

At ſi Prior, vel Procurator, aut quiſque alius, aliquid ex dictis bonis vſurpare auſus fuerit, cogatur rationẽ reddere, & reſtitutionem facere vſque ad minimum quadrantem, & pro pœna ſuæ temeritatis biennio careat Canonicatu.

Et quando euenit, vt aliquis ex fratribus hoſpes in alieno Conuentu infirmetur, Prior, & Procurator Conuẽtus, vbi reperitur infirmus, nullo modo deſint in cura ipſius, & exerceant charitatem, & omnem diligẽtiam circa illum, quemadmodum exercere ſolent circa alios fratres eiuſdẽ Cõuentus: & ne fortè frigeſcant in re tam pia, propter difficultatem recuperandi expenſas, quæ circa illum infirmũ factæ fuerint, ſtatuimus, vt Prior, & Procurator proprii Conuentus illius infirmi teneantur ad omnes expenſas pro illo factas, quas niſi ſtatim effectu ipſo ſoluerint Conuentui, qui infirmo ſubuenit, arceantur à dandis ſuffragiis in proximis generalibus Comitiis.

Item vt Conuentuum indemnitati prouideatur, nevè miniſtrorũ incuria, vel amicitia, vel alia corruptela Monaſteria decipiantur, aut diſpendium patiãtur, ſtatuitur, vt quicquid adminiſtratores ſub fide alicui dederint, quod vulgò dicitur ad credẽtiam, aut mutuò commodauerint, quod poſtea recuperari non poſſit, id totum ſit damno dantium, non autem Conuentuum, & in ſubductione rationũ talia nomina non admittantur; & quando ſumma foret alicuius momenti, & Conuentui læſo aliter non poſſit ſatiſfieri, qui occaſionem damni dederunt, priuentur veſtimentis, & Canonicatu, donec damnum reficiatur.

Et quãdo Priores, & Procuratores officium ſuũ cõpleuerint, ſi habẽt equos aptos, relinquãt illos Cõuentibus, & pretiũ à ſucceſſoribus ſoluatur. Inepti autẽ equi vẽdantur.

Nemo

Nemo autem ſolutus ab officio tenere poſsit equum aliquem proprio nomine, qui autem ſecus fecerit, per annum Canonicatu priuetur.

De conuerſatione, & taciturnitate. Caput IX.

MAximum periculum cum animæ, tum honoris, & corporis, in locutione, & conuerſatione inconſiderata eſſe, nemo ambigit: cum Magiſter vitæ, & Dominus in Euangelio dicat, de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii. Et Apoſtolorum Princeps cum eſſet ardentiſsimè ingreſſus Atrium Caiphæ, & implicuiſſet ſe aſtantium colloquiis, refrixit, & compulſus eſt negare ſe noſſe illum, quem paulò ante confeſſus fuerat, filium Dei viuentis.

Non igitur ab re maiores noſtri tantopere ſilentium cõmendauerunt, & conuerſationem exterorum fugiendam eſſe cenſuerunt, qui inter alia decreuerunt neminem abſq; venia ſui Prælati poſſe alloqui exteros, præter cuſtodes Hoſpitii, & Sacrarii, in iis, quæ ad officium eorum ſpectant: quod ſaltem à Clericis obſeruari æquum eſt, Clerici autẽ contrafacientes confiteantur ſuam culpam in Refectorio, & pœnas condecentes ſuſtineant.

Item animaduertatur, quomodo quiſque cautè ambulet, tam domi, quàm extra, tam moribus, quàm verbis. Monaſteria enim ſunt loca pœnitentiæ, & ſanctimoniæ deſtinata, vbi fratres, quod pro ſalute animarum delegerunt,

gerunt,

gerunt, in ſanctitate, & iuſtitia adimplere debent.

Quamobrem ſi (quod Deus auertat) aliquis ex Collegio ſiue intus, ſiue foris conuerſationem ſuſpectam habere reperiatur, omnino non permittatur talis abominatio vlterius progredi, veluti peſtis, ſed amoueatur reus ab illo Cõuentu, & in alium minus ſuſpectum tranſmittatur, & puniatur iuxta grauitatem culpæ.

Extra Conuentum noctu eſſe, aut dormire, nemini concedatur, niſi cogente neceſsitate ineuitabili, antequam autem huiuſmodi licentia concedatur, congregatis Patribus Deputatis diſcutiatur, an cauſa ſit rationabilis, & ineuitabilis, & tutum ſit concedi petita.

Qui temerariè ſecus fecerit, puniatur grauiter in carceribus, iuxta qualitatem culpæ.

Neque quiſquam proficiſcatur abſque conſultatione medicorum, & licẽtia Prioris, & Deputatorum, ad Balnea: contrafacientes tamquam ſuſpecti alicuius criminis grauiter puniantur, & per biennium careant Canonicatu, & non Canonici per annum veſtimentis.

Neque Comitiorum tempore quiſquam ex ſodalitio, licet Procurator, vel aliter officialis ſit, extra Cõuentum in Ciuitate, Oppido, Villa, vel alibi noctu eſſe ſinatur; occurrente tamen ineuitabili neceſsitate, diſcuſſa cauſa, & probata à Deputatis, poterit permitti: quòd ſi Vicarii ſine cauſa id permiſerint, pro pœna ipſi non exibunt per menſes quatuor è ſeptis Conuentus. Ii verò, qui præfato tempore

extra

extra Monaſterium pernoctauerint, quamuis in locis noſtris fuerint, per ſemeſtre tempus non exibunt è ſeptis Conuentus.

Et qui extra loca noſtræ Congregationis hoſpitati fuerint, puniantur prædicta pœna, & aliis etiam in carceribus, iuxta qualitatem culpæ.

Accedentes ad colloquia Monialium abſque rationabili cauſa, & abſque legitima venia tam Ordinarii ipſarum, quam Prioris, & Deputatorum, per triennium Canonici priuentur Canonicatu, non Canonici verò veſtimẽtis per annum: & quando ex tali colloquio oriretur ſcandalum, præter præfatam pœnam, mulctetur ſcandali auctor ſeuerius, vt decet.

De nonnullis, quæ regularem ſtatum dedecent, non permittendis. Caput X.

NEmo contra laudabilem morem noſtræ ſodalitatis nutrire audeat barbam, aut flocculos in mento, vel ſuper labiis, quod peius eſt, quod præ ſe fert potius perſonam ſcurræ, quam hominis religioſi: Si quis verò in hoc tranſgreſſor fuerit, per ſemeſtre tempus nõ exeat ſeptis Conuentus, & omnino abradatur, & qui nõ ſe emendat, puniatur pœna grauiſſimæ culpæ.

Superiores autem, qui permiſerint tales deformitates, completis eorum officiis, priuentur ipſo facto anno vno Canonicatu.

Defe-

Deferentes arma extra Conuẽtum, vel habentes intra, puniantur veluti ex culpa enormi, & irremiſsibiliter mãcipentur per menſes ſex carceri, & triennio ſpolientur Canonicatu, Conuerſi autem biennio veſtimentis priuentur.

Item vtentes annulis, aut chirothecis, aut caligis acu elaboratis, aut laicalibus indumentis, profiteantur ſuã culpam in Refectorio, comedãt in terra, Canonici biennio priuentur voce actiua, & paſsiua, non Canonici eodem tempore priuentur veſtimentis.

Verùm illis, qui equitant, aut ruri, aut extra ciuitates deambulant, chirothecæ permittuntur; ſimplices tamen, & regulari ſtatui conformes.

Habentes in cellis fritillos ad ludendum, aleaſve, aut aliquid indecens clauſtrali ordini, ipſo facto priuentur rebus ipſis, & per trimeſtre tempus non egrediantur è ſeptis Conuentus.

Fratres noſtri non poſſunt induere pelliceas veſtes, niſi ouinas religioſis conuenientes.

Quãdo autem, ob ineuitabilem neceſsitatem alicuius, aliter ſuadeat ratio, fiat hoc ex indultu Patrum Viſitatorum, qui perſpectis in hoc ſententiis Medicorum, licẽtiam dabunt in ſcriptis, & cauſam conceſsionis expriment.

Qui abſque licentia pelliceas veſtes geſtauerint, præterquam ouinas, biennio careat Canonicatu, non Canonici verò anno vno veſtimentis, & eodem anno, non egrediantur ſeptis Conuentus.

Vt

Vt autem habitus noſtræ Congregationis conſeruetur, qui forma, materia, & colore extra ſuos limites trahi poteſt, decernimus, vt quotieſcumq; Superiores viderint aliquem deferre habitum contra præſcriptam formam, auferant habitum illum, & materiam illius diſſutam, aut ſciſſam applicent Monaſterii neceſsitatibus: qui verò contumax, & inobediens fuerit, ipſo facto Canonicatu biẽnio ſpolietur, non Canonicus per annum priuetur veſtimentis: & perſeuerans in obſtinatione pœnis grauiſsimæ culpæ ſubiaceat.

Tranſgreſſores autem circa habitum cenſentur etiam illi, qui interiores tunicas vulgò ſubtanas, cærulei coloris induunt, exceptis tamen Conuerſis, qui ex inſtituto ſubtanas cæruleas geſtant.

Et qui poſthabito timore Dei, & humana verecundia lineas interulas induunt, Canonici ipſo facto, decidunt per annum à Canonicatu, non Canonici eodem tempore veſtimentis priuentur.

Recidentes autem ſecunda vice in eandem culpam, præter pœnas dictas, per annũ non exeant ſeptis Cõuentus.

Incorrigibiles verò in hac re, ſint inhabiles ad omnes dignitates, & officia.

Infirmi tamen iacentes in lecto, vel vlceroſi, poſſunt in hac re à ſuis Superioribus diſpenſari, licentia tamen detur eis in ſcriptis.

Generalis autem Rector, Viſitatores, & Priores, ſi cũ

vident, & cognoſcunt, vel legitimè certiores facti ſunt, non correxerint tales delinquentes, completo eorum officio, per annum voce actiua, & paſſiua priuentur.

Nemo ex fratribus præſumat vendere veſtimenta, veluti tabarrum, pellãdam, ſubtanam, & alia id generis, neque quiſquã ea emere audeat; qui vẽdiderit, & qui emerit, per annum priuetur omni genere veſtimentorum.

Nemo item Clericorum, abſque licentia ſui Rectoris, lauare præſumat lanea veſtimenta, præter aliquod breue ſagum, vulgò corettũ, & laneas interulas ſtamineas, iuxta morem antiquum ſodalitatis: & multo minus ea exteris tradere lauanda audeat.

Qui ex propriis veſtimentis vſu attritis, eleemoſynas elargiri volunt, id faciant ex licentia Rectorum, & dent veſtes diſſutas, & extra formam habitus Congregationis redactas.

Vt autem abuſus, & inconuenientia omnia melius euitẽtur, Rector vnà cum Deputatis, ſaltem ſemel in menſe, viſitent diligenter ſingulas cellas, & alia loca Conuentus, & inde ea remoueant, quæ regularem ſtatum nõ decent.

De illorum ignauia coercenda, qui non ſurgunt ad Matutinum. Caput XI.

SI quis ita torpore detineatur, vt abſque legitima cauſa non ſurgat ad Matutinum, omnino in tali negligẽtia non toleretur, ſed Maior vocare eum faciat,

& per

& per confeſsionem propriæ culpæ in Refectorio, & per comeſtionem in terra, & alias pœnas coerceat: qui ſi huiuſmodi remediis non reſipiſcit, ſed in ſua negligentia perſiſtit, priuetur voce actiua, & paſsiua iuxta cõgruentiã culpæ.

Nullo modo Prælati ſinant huiuſmodi deſides in tali incuria eſſe, ſed puniant ita, vt in pœna ſint forma aliis cauendi.

Sed quando euenit, aliquem inhabilem eſſe ad ſurgendũ ob aliquam indiſpoſitionem, hic ſe excuſet apud Campanarium, cum pulſat ad cellam, qui excuſationem denunciabit Maiori, & qui ita non erit excuſatus, ſuam culpã profiteatur in Refectorio, & ſuſtineat patienter pœnam, quæ ſibi imponetur à Superiore.

Si quis præter primam vicem velit alterius excuſationem prætendere, & inhabilem ſe dicere ad ſurgendum, habeat fidem Medici in ſcriptis de ſua indiſpoſitione, & ſeruet abſtinentiam in comedendo, quã ſeruare ſolẽt infirmi.

Sub hac tamen cenſura non conſtringuntur ſenes decrepiti, neque patres emeriti, neque qui ob aliquam infirmitatem, vel indiſpoſitionem, à Patribus Viſitatoribus obtinuerunt immunitatem, neque poſtremo ii, qui ſemel, aut ſæpius Generalatus honore functi ſunt.

De ſymphonia intempeſtiua arcenda. Caput XII.

CAnere concetum muſicorum notis temperatum in locis Monaſterii, vbi ſeruare ſilentium conuenit, ſemper eſt interdictũ fratribus, & tranſgreſſores pro pœna profiteantur ſuam culpam in Refectorio, & humi comedant.

Nemo ex fratribus inducat pulſatores, & flatores muſicorum inſtrumentorum ad muſicam faciendam in Conuentum, abſq; licentia Prioris, qui ſecus fecerit, non egrediatur tribus menſibus è ſeptis Conuentus.

Cõfratres noſtri probibentur ſemper vti quibuslibet inſtrumentis muſicalibus in Dormitorio, & extra, quando conturbant ſilentium, ſub pœna priuationis Canonicatus per annum.

Iis autem, quæ nulli afferunt inquietudinem, vti poſſunt, ſi id conceſſerit Superior, quemadmodum Monachordium illis, qui pulſant organa in obſequium Eccleſiarum, exercitationis cauſa extra Dormitorium permittitur, qui tamen ob hoc non prætermittant diuina.

Cãtores ex ſodalitio, qui renuerint temporibus ſuis laudare Deum in muſicis concentibus, iuxta impoſitionẽ Superiorum, pro prima vice profiteantur ſuã culpam in Refectorio, & comedant in terra, & ſi reſipiſcere noluerint, poſt hæc pro contumacia per annum priuentur veſtimẽtis.

De

De proprietate arcenda. Caput XIII.

Maiores noſtri, qui abſque ſolenni voto clauſtralem vitam ſequebātur, abdicationem proprietatis ita amplexi ſunt, vt ſi quis proprium habere vellet, niſi poſt tertiam admonitionē proprietate ſe abdicaret, Canonicatu priuatus, & habitu, dimitteretur.

Hanc peſtem longè amouere multo magis ſtudere debent fratres, qui ſolenni voto ad regularem vitam ſe obligarunt, & paupertatis votum, quod eſt vnum ex tribus ſubſtantialibus religioſorum, emiſerunt.

Nemini itaque licet abſque conſenſu ſui Prælati quicquam habere, ſeu retinere, non peculium, non donum, non depoſitum, non cōmodatum, non eleemoſynas cuiuſuis ponderis etiam minimi, abſque Superioris indulgentia.

Immo verò paratus quiſque eſſe debet, vt quæcumque ad proprium vſum poſſidet, ad nutū Superioris reſtituat, ſi neceſſe ſit, cum iuſta aliqua, & rationabilis cauſa, vel Priori, & Deputatis, vel Reuerendiſſimo Generali, & Viſitatoribus ſubeſſe videbitur.

Et quādo ſtudet quis occultare quicquam, ne ſuus Rector ſciat, aut videat, tunc ſubditus à recto tramite cognoſcat ſe tranſilire, & in maximum animæ ſuæ præiudicium agere.

Abſque licentia Prioris, nemo in Collegio audeat, ſe ex vna in aliam cellam, ſuo arbitratu, conferre ad habitandum;

dum; neque quicquam ex vna in aliam transferre; quod qui fecerit, omnia in primis in integrum reſtituat, & pro pœna profiteatur ſuam culpam in Refectorio, & comedat ſemel in terra.

Quando eueniret, vt aliquis immemor ſuæ ſalutis mercaturam exercere vellet, aut conducere poſſeſsiones per ſe, aut per alios mediatè, vel immediatè, aut locare ànimalia, aut aliquam ſocietatem inire, tũc huiuſmodi proprietarius biennio priuetur tabarro, & Canonicatu, & ſi ſit Conuerſus, eodem tempore priuetur ſua maiori veſte, & per annum non exeat ſeptis Conuentus.

Et qui tam Clerici, quàm Conuerſi non ſe emendauerint, ſubiaceant pœnis grauiſsimæ culpæ.

Nemo audeat teſtamentũ facere, aut quicquam alienare, aut recipere pecuniam mutuò, vel ad intereſſe, pro quacumque cauſa, aut occaſione, ſub pœna priuationis Canonicatus per triennium; quando tamen in euidentem vtilitatem alicuius Conuentus, aut ob ineuitabilem neceſſitatem oporteret accipere pecunias ad intereſſe, tunc fiat id ex deliberatione Patrum Deputatorum, & ex decreto Patrum xi. aut ix. infra annum, adhibitis ſolẽnitatibus, quæ in huiuſmodi rebus requiruntur.

Quando alicui particulari permittitur, vel imponitur in aliqua occaſione aliquam pecuniam expẽdere, ſi in redditione rationum falſum aliquid, aut ſuperfluum interpoſitum eſſe reperiatur, nullatenus id ſoluatur, quinimo

iuxta qualitatem delicti reus mulctetur.

Si quis mutuò accipiet nummos, aut merces ſub fide, cum pro particulari ſua commoditate, abſque Superioris licentia, contraxerit æs alienum, pro temeritate tali, annis tribus ſit exutus Canonicatu, & careat veſtimentis, donec ex pretio veſtimentorum ſoluatur prædictum æs alienum.

Expenſæ autem, quæ à particularibus in itinere, vel ex alia opportunitate contrahuntur ſupra id, quod illis à Conuentibus datum eſt, non ſoluantur, ni prius Patres Deputati inſpiciant, an ſint rationabiliter factæ; quando enim perperam, vel prodigè quiſquam ſe geſſit, non debent Monaſteria ex illius culpa damnum ſentire: Ideo Patres Deputati reducant inutiles, temerariaſque expenſas ad rationabiles limites.

De præhenſatione arcenda. Caput XIIII.

Cum in electionibus dignitatum, & officialium oporteat ſolum Deum, & bonum publicum præ oculis habere, & electores ex officio omnes ad id, quod melius eſt, ſtudere teneantur, quandoque tamen improba ambitione homines obcæcati procurant, quod nõ decet, & variis modis tenebras offundere conantur, ita vt etiam pias mentes perturbent, vnde qui talia agunt, impunitatem habere non debent.

Iccircò in electionibus officialium omnium ſodalitatis noſtræ, cuiuſuis generis, quicumque, & quocumque modo

auſus

auſus fuerit aliquem prahẽſare per ſe, vel per alios, vt obtineat ſuffragia pro electione propria, vel alterius perſonæ, ad aliquam dignitatem, vel officium, talis prahenſator, ſi Canonicus eſt, ipſo facto à Canonicatu decidat per duos annos, non Canonicus verò eodem tempore ſit priuatus tabarro, & Conuerſus per ſemeſtre tempus omnibus ſextis feriis comedat in terra.

Quòd ſi quis pretio, vel pactione, fraude, aut minis, vel alio modo exorbitanti pro ſe, vel pro alio, mediate, vel immediatè procurauerit ſuffragia in electionibus dictis; Prahenſator huiuſmodi, ſi Canonicus ſit, ſpolietur Canonicatu quinquennio, Clericus eodem tempore ſuſpendatur à ſacra promotione ordinum, & Conuerſus duobus annis priuetur veſtimentis, & ſymoniacus puniatur præterea iuxta Canones.

Quoniam autem immoderata præuaricatio modum excedere compellit, ſtatuimus, vt ſupradicti prahenſatores, qui per modum exorbitantem ſuffragia procurant, ex dicto trium teſtium bonæ famæ, licet ſingularium, vel ex dicto duorum teſtium concordium, puniri poſſint.

Non intelligimus tamen huiuſmodi pœnas locum habere, quando colloquia aliqua ſuper electionibus faciendis per modum ſanioris conſilii, aut honeſtæ ſeu neceſſariæ informationis fierent, quæ ab omni modo illicito ſint remota.

De incorrigibilibus. Caput XV.

Obſecrandi ſunt omnes confratres, vt ſuæ vocationi vigilanter incumbant, & tentatione nõ niſi humana ſe appræhendi ſinant, memores illius ſententiæ Beati Patris Auguſtini in Epiſtola cẽteſima trigeſima ſeptima, quæ ita inquit: ſimpliciter autem fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quã qui in Monaſteriis ceciderũt; ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum, iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.

Si euenerit autem, quod maxime flendum eſt, homines Deo, & rebus diuinis cõſecratos cũ præclaris inſignibuſq; ſuis titulis non concordare, ſordidiſq; operibus ſtatum ſuũ contaminare, ne malo exemplo cæteros inficiãt (modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit) ſtatuitur, vt qui incorrigibiles ſunt, à Monaſteriis expellantur, & habitu exuti, per ſententiam Reuerendiſsimi Patris Generalis cum Viſitatoribus tamquam morbidæ oues à caulis religioſorum eiiciantur.

Incorrigibiles autem illi intelliguntur, qui condemnati ſemel, & iterum, atque iterum, ad idẽ crimen relabũtur.

Aut qui ex temeraria aſſuefactione enormia ſæpius perpetrare, ac Prælatorum præcepta, & animaduerſiones

nihili facere non verentur, vel qui alicuius criminis ſententia nodati pœnam inflictam contemnunt, & diſciplinæ incapaces ſunt, de quorũ emendatione, & correctione non eſt probabilis ſpes, aut qui tribus vicibus admoniti non ſe emendant.

Huiuſmodi autem expulſos nemo patiatur conuerſari cum noſtris, qui ſecus fecerit grauiter puniatur à Superioribus.

De Apoſtatis. Caput XVI.

QVoniam, vt Saluator noſter ait, nemo mittẽs manum ſuam ad aratrũ, & reſpiciẽs retrò, aptus eſt regno Dei: Icciricò Patribus noſtris viſum eſt in Capitulo generali in odium Apoſtatarum, vt ablata ſpe facilis regreſſus vagandique leuitate intercluſa, Fratres conſtanter in propoſito perſeuerẽt, vt ii, qui ob aliquod crimen à ſe perpetratum, timentes ne pœnis culpæ conuenientibus ſubiiciantur, dimiſſo habitu, ex ſeſe fugam arripuerunt, aut qui aſſerentes ſe non teneri ad permanẽdum in Congregatione, ſimiliter dimiſſo habitu, ab ea temere diſceſſerunt, & qui tanquam incorrigibiles, & ſcandaloſi eiecti fuerunt, amplius non recipiantur, ſed habeantur, & ſint perpetuò deciſi, & alieni à Congregatione.

Quòd ſi euenerit quãdoq; huiuſmodi apoſtatas à Superioribus denuò recipi, hi à die vltimæ reuerſionis locũ ſuæ.

præce-

præcedentiæ teneant, & toto vitæ ſuæ tempore priuati ſint voce actiua,& paſſiua.

Et pari pœna puniantur Confratres noſtri, qui clã,vel apertè,per ſe,vel per alios mediatè, vel immediatè fauorẽ talibus apoſtatis, vt denuò recipiantur in ſodalitium, præſtant iuxta conſtitutionem Gregorii Papæ XIII. datam ſub annulo Piſcatoris Romæ apud ſanctum Petrum die xii. Ianuarii anno 1585.

De excommunicationibus, quarum abſolutio reſeruatur ſanctiſsimo Domino Papæ. Cap. XVII.

QVi propter aliquas differentias in noſtra Congregatione exortas extra eam exeũt ad aliquem iudicem, excommunicati ſunt; & tam ipſi, quam iudices recipientes tales cauſas pari pœna nodantur.

Item excommunicati ſunt omnes tàm Prælati, quam inferiores, qui in electionibus ſiue Rectoris generalis, ſiue Viſitatorum, vel Priorum, aut ſociorum Capitularium, vel aliorum officialium, quomodocumq;, & qualitercumque fraudem, falſitatem, dolum, malitiam, vel corruptelam cõmittunt, vel ſcientes non reuelant, vt in Breui Pauli Papæ tertii die vigeſima ſecunda Septemb. MDXLIII.

Item ſi aliquis Canonicus, vel alia perſona eiuſdẽ Congregationis receſſerit, vel expulſus fuerit, & aliqua bona inde exportare præſumpſerit, niſi, præmiſſa admonitionẽ, infra quindecim dies reſtituerit, aut ſuper illis cũ Rectore

generali, & Patribus Deputatis ad curam, & regimen totius Congregationis rem compoſuerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurriſſe cenſetur, à qua nõ niſi per Romanum Pontificem, præterquam in articulo mortis, abſolui valet.

Multæ excõmunicationes reſeruatæ ſunt ſanctiſſimo Domino Papæ in corpore iuris, & in aliis bullis extrauagantibus, quas hic annotare non viſum eſt opportunum; ſed vnuſquiſque procuret ſcire, quæ ad ſalutem propriam ſpectant.

De excommunicationibus Reuerendiſſimo Patri Generali reſeruatis. Caput XVIII.

ADminiſtratores bonorum temporalium vt ſunt Procuratores, Villici, & ſimiles, ex fraude adminiſtrationum ſuarum cõgregantes ſibi nummos, & non reſtituentes infra menſem; Dantes item pecunias, aut bona alicui extra Congregationem, exceptis modicis piis eleemoſynis, & paruis donationibus, maiore excommunicatione nodantur ipſo facto, reſeruata abſolutione Reuerendiſſimo Patri Generali.

Item per ſe, aut per alios directè, vel indirectè, mediatè vel immediatè mercaturam exercentes maiori excommunicatione nodantur, reſeruata abſolutione vt ſupra Reuerendiſſimo Generali.

Recedentes ab obedientia deferentes, vel nõn deferentes

habi-

habitum, eadem cenſura, & reſeruatione conſtringūtur.

Item falsò querelantes, vel denunciantes, aut teſtificantes, & ad id alios inducentes, maiori excommunicatione nodantur ipſo facto, qui nequeunt abſolui niſi à Reuerendiſsimo præfato Generali, præmiſſa, vt decet, ſatisfactione.

Et ſimiliter quicumq; temerè, vel dolosè, mediate, vel immediatè, per ſe, vel per alios, auſi fuerint corrumpere, vel vitiare præſentem librum Cōſtitutionum, maiori excōmunicatione nodantur, reſeruata abſolutione, vt ſupra.

De excommunicationibus, quarum abſolutio reſeruatur Prioribus. Caput XIX.

EXcommunicantur omnes, qui poſthabito Dei timore, temerè furantur res Sacrarii, Hoſpitii, Veſtiarii, & nequeunt abſolui, niſi præmiſſa reſtitutione.

Pari pœna nodantur, qui eleemoſynas alicuius ponderis vt puta, quæ excedunt medietatem vnius aurei, vel in vna, vel in pluribus vicibus occultant, aut detinent, vel vſurpant, & tales puniuntur pœnis grauiſsimæ culpæ.

Qui auferunt aliquid momenti è cellis, ſuſpenduntur, neque beneficium abſolutionis obtinent, niſi præmiſſa ſatisfactione.

Item maiore excōmunicatione ipſo facto nodantur omnes habentes, vel habere procurantes claues ſuppoſitas, vel adulterinas portarum quarumcumq;, per quas egreſſus,

vel

vel ingreſſus in Monaſteria, vel Eccleſias noſtras patet, vel ſub quibus custoditur aliquid cõmune, veluti Sacrarii, Penarii, Horrei, Farinæ, Vini, & Olei, vel aliarum rerum huiuſmodi, & qui demum quaſcumque claues adul terinas tenent, ad aperiendum furtim, vel cellas, vel arcas, ſuo vſui non deputatas.

Item qui clam tenent ſcalas, vel lineas, vel ſericas, vel quaſcumque alias, & qui ſciunt aliquos habere adulterinas claues, vel ſcalas, & non reuelauerint infra triduum.

Eadem pœna constringuntur etiam omnes, qui ad aliquod crimen occultandum extinguunt luminaria lampadarum Eccleſiæ, vel Dormitorii, vel alterius loci.

Notandum eſt autem quod quamuis Reuerendiſſimus Rector Generalis, & alii Rectores facultatẽ habeãt excommunicandi, & abſoluendi fratres ſibi ſubditos, vigore priuilegiorum à ſummis Pontificibus, & præſertim Innocentio Octauo, noſtræ Congregationi conceſſorum, nõ tamen pronunciare debent ſententiam excommunicationis contra aliquem ſine conſenſu Deputatorum.

Et Reuerendiſſimus Generalis quando viſitat ſine con ſenſu Viſitatorum.

De leuibus culpis, & earum pœnis. Caput XX.

LEuis culpa eſt, cum quis verba aliqua in celebratione officii in choro perperam proferens, ſtatim dextera manu, non tetigerit terram.

Si quis

Si quis vagis oculis, aut irreligioſo motu, in publico leuitatem præ ſe tulerit.

Si quis de die, laicos in Monaſterium introduxerit, alloquutuſvè fuerit abſque ſui Superioris licentia.

Si quis in choro, vel Refectorio circa Lectiones, Capitula, aut aliquid aliud vnum pro alio dicens errauerit.

Si quis exiſtens in Eccleſia, Dormitorio, vel Choro, aliquo modo, ſilentium fregerit.

Si quis Lectiones vel cantanda non præuiderit, aut præparauerit.

Si quis in Cachinnos, vel luſus diſſolutè, & inordinatè proruperit, aut alios ad ridendum incitauerit.

Si quis altari ſeruiendo negligenter ſe geſſerit.

Si quis aliquid vtenſilium, vt Phialas, & Scyphos, & ſimilia fregerit, perdiderit, aut à menſa deiecerit, vel in menſa profuderit.

Si cuius negligentia liber publicus, in quo legere oportet, amotus fuerit.

Si quis ob negligentiã hora debita nõ acceſſerit ad Refectoriũ, ad Chorũ, ad Capitulũ, & ad functiones publicas.

Si quis otioſa verba, vel vaniloquia protulerit.

Si quis negligenter ſe geſſerit in officiis decretis à Superioribus, aut in exequendo aliquo mandato.

Si quis pro victu, & veſtitu murmurauerit.

Si quis pauimenta locorum ad officium ſuum ſpectantium non verrerit.

Sunt

Sunt multa alia, quæ ſolent occurrere in Conuentibus, pro quibus Prælati debent punire errantes, vt diſciplinam in officio contineant, & eos à maioribus culpis defendant.

Pro huiuſmodi autem leuibus culpis imponi ſolet, vt errantes profiteantur ſuam culpam in Refectorio, in Choro, aut in Capitulo, & recitent aliquos Pſalmos, & aliquando etiam humi comedant, qua in re qualitas culpæ, & perſonæ conſideranda eſt.

De grauibus culpis, & earum pœnis. Caput XXI.

GRauis culpa eſt, ſi quis cum cōtubernali, aut externo immodeſtè contenderit.

Si quis opprobrium alicui dixerit, vel nomine aliquem appellauerit, quod in deriſionem tendat, vel conuicium inducat.

Si quis defectum alicui obiecerit.

Si quis deprahenſus fuerit dixiſſe mendacium.

Si quis obſcœna dixerit, aut ſcripſerit.

Si quis per fidem iurauerit, vel per Crucem Domini.

Si aliquod malum, aut occultum, aut punitum, & purgatum alicui improperauerit.

Si quis diſtulerit reconciliationem fratri veniā petēti.

Si quis detraxerit alicui, aut de eo grauiter murmurauerit.

Si quis admonitus ſilentium in perturbationem aliorum ruperit.

Si quis ſuos errores, vel aliorum, ſuperbè defenderit.

Si quis cum mulieribus non conſanguineis, vel affinibus, in Eccleſiis, vel ad Ianuam locutus fuerit, niſi ex aliqua cauſa neceſſaria, & honeſta.

Si quis ieiunia Congregationis intermiſerit.

Si quis non reuertatur ad Conuentũ hora conſueta, vel decreta à Superiore.

Tales culpæ augentur, & minuuntur iuxta qualitatẽ delicti, & perſonarum: quando pœna in conſtitutionibus eſt poſita, illis ſtetur, niſi qualitas culpæ excedere, vel minuere pœnam compellat. At ſi non eſt pœna decreta in conſtitutionibus, puniantur rei per comeſtionem in terra, vel per diſciplinam, aut prohibitionem exeundi è ſeptis Cõuentus, vel per alias pœnas arbitrio Prælati infligendas.

De grauioribus culpis, & earum pœnis. Caput XXII.

GRauior culpa eſt, ſi quis blaſphemauerit.

Si quis extra iudicium peierauerit.

Si quis ieiunium in Aduentu, vel ab Eccleſia inſtitutum, non obſeruauerit.

Si quis mortale peccatum manifeſtè commiſerit.

Si quis ſententiam excommunicationis incurrerit.

Si quis in excommunicatione poſitus Miſſam celebrauerit,

uerit, uel in ſacris ordinibus miniſtrauerit.

Si quis per diem integrũ ſuo Superiori inobediẽs fuerit.

Si quis cum eo poſtpoſita debita reuerentia, & paternali timore, quaſi de pari contendere auſus fuerit.

Si quis non ſemel tantum, aut bis, ſed etiã tertio ebrius fuerit.

Si quis alicui minitatus fuerit actibus, aut uerbis iniurioſis, illumq́; ſe uelle cædere ſignificauerit, & multo magis ſi arripuerit manibus aliquid offenſiuum.

Pro talibus culpis rei puniantur pœnis, aut decretis in Conſtitutionibus, & Canonibus Põtificiis, uel arbitrariis, magis, & minus, iuxta qualitatem ſcandali, loci, uel perſonarum, priuari ſolent Canonicatu, ueſtimentis, & egreſſu à Conuentibus, & compeſci carcere, & diſciplinis.

De grauiſsimis culpis, & earum pœnis. Caput XXIII.

GRauiſsima culpa eſt, ſi quis grauem aliquam læſionem alicui intulerit.

Si quis falſarius in accuſando, vel teſtificando extiterit.

Si quis fornicatione, vel adulterio, aut alio crimine cũ mulieribus cuiuſuis generis ſe maculauerit.

Si quis confeſsionem ſacramentalem reuelauerit.

Si quis infami & abominabili vitio impulſus iuuenes tam domeſticos, quàm exteros attentare auſus fuerit.

Si quis

Si quis quouis modo conſenſerit, aut lenocinium in tali re fecerit.

Si quis ſimoniam commiſerit.

Si quis vſuram perpetrauerit.

Si quis furtum fecerit.

Si quis in proprium Rectorem cõſpirauerit, temerè factiones ſuſcitans in monaſteriis, aut cum aliis quoquo modo in huiuſmodi conſpirationibus conſenſerit.

Si quis furtim egreſſus fuerit à Conuentu noctu, depoſito, vel non depoſito habitu, id enim, vt malè agat, facere præſumitur.

Si quis apoſtaſiam incurrerit.

Si quis ſe iactauerit commiſiſſe aliquod crimen carnis, vel aliud flagitium.

Si quis contra honorem alicuius compoſuerit, vel publicauerit libellum famoſum.

Si quis cõſuluerit haruſpices, incantatores, ariolos, augures, ſortilegos, atque eos, qui magicam artem profitentur.

Si quis fuerit incorrigibilis.

Si quis ſcienter celebrauerit Miſſam ſuper aliqua re, vel aliquod ſacrũ ſortilegis dederit ad cõficiẽda ſortilegia.

Si quis auxilium vel fauorem alicui dederit contra ſtatum Congregationis per ſe, vel per alios, mediatè, vel immediatè.

Si quis fauerit apoſtatis, aut eiectis, vt ſupra Cap. 16. huius Diſtinctionis.

Sunt multæ aliæ culpæ in corpore iuris, & variis conſtitutionibus ſummorum Pontificum, & etiam in particularibus ſtatutis Congregationis cadentes ſub hoc titulo, quas enumerare non eſt opus. Satis enim eſt ſuperiora demonſtraſſe.

Contra tales enormitates, & crimina procedatur, vt iura ſodalitatis diſponunt, vel vt ſacri Canones ſtatuunt, quando particularia iura deficiunt.

Contra huiuſmodi reos adhiberi ſolent pœnæ carcerationis diuturnæ, priuationis Canonicatus per multos annos, aut veſtimentorum, detruſionis in Monaſterium, diſciplinarum, proſtrationem ad portam Refectorii, & eiectionis.

Cōmittentes tamen crimina atrocia, veluti percuſsionem enormem, homicidium, latrocinium, & ſimilia, pro quibus eſt decreta à legibus capitalis pœna, debent ad trireme s dānari iuxta breue ſummorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. vt dictum eſt ſuprà Capite tertio huius Diſtinctionis.

CON-

CONSTITVTIONVM CANONICORVM CONGREGAtionis S. Georgii in Alga Venetiarum.

DISTINCTIO QVINTA.

De annuali Conuentu, & qui Capitulum generale, & qui Diæta appellatur. Caput Primum.

QVot annis, vt proſpiciantur ea, quæ vniuerſitatis totius regimini neceſſaria ſunt, & reparentur, neceſſe eſt, vt in vnum ex ordine patres quidam conueniant: & quoniam eorum coadunatio non ſemper ad eundem effectum, neque eodē modo fit, hæc ſigillatim declarare opportunum eſt.

Vnoquoque triennio congregatur cœtus, qui ob frequentiam maiorem, & nouam omnium officialium electionem Comitia dicuntur, & recentiori vocabulo Capitulum generale appellari ſolet.

Aliis duobus annis intermediis fit aliud genus Conuentus, quæ Diæta nō incongruè appellatur. Diæta enim apud Græcos ſumitur pro loco, quo arbitri ad iudicandum conueniunt, vnde Διαιτάω *iudico vt arbiter.*

In hac autē neq; abdicationes dignitatū, neq; nouæ electiones niſi ex accidentali cauſa fiunt, ſed tantū prouiſiones, & reparationes, quæ ſingulis annis iudicantur neceſſariæ.

Vterque

Vterque verò congreſſus tam Capitulum generale, quã Diata, opportuno tempore adunatur, die videlicet decima quinta poſt Paſcha Reſurrectionis Domini, in Monaſterio ſancti Georgii in Alga Venetiarum, niſi ob aliquã incidentem occaſionem, ordinem hunc mutare Reuerendiſſimus Pater Generalis cum Viſitatoribus cogeretur. Qui autem in Capitulo generali, ſiue in Diata intereſſe debeãt, & quid agere teneantur, in ſequẽtibus Capitulis dicetur. Et primò de Diata, & poſtea de Capitulo agendum erit.

De Diæta. Caput II.

QVisque Prior cuiuſuis Conuentus Congregationis accedere tenetur ad Diatam annis, quibus celebratur, & pro expenſis ſoluere Procuratori ſancti Georgii in Alga portionem, vt infrà Capite V. & ſtatuto die, videlicet feria ſecunda poſt Dominicam ſecundã poſt Paſcha, cantata prius Miſſa de Spiritu ſancto in Eccleſia ſancti Georgii conuocatione tintinnabuli, accedant omnes Superiores ad Aulam Capitularẽ, vbi collectis omnibus, cum duobus Viſitatoribus, Reuerendiſſimus Pater Generalis accommodata concione, nonnulla, quæ timorem Domini, amoremq; communis boni ſuadere poſſunt, in medium proferre ſtudebit. Breui deinde ad Deum præmiſſa deprecatione, procedatur ad negotia.

Eligatur primò aliquis Pater in Notarium, cuius munus eſt, memoriæ in libro deſtinato mandare, quæ apud

Diatam geruntur, & alia, vt infra Capite ix.

Eligantur deinde duo ſcrutatores, quorum functio deſcribitur infrà Capite octauo.

Eligãtur poſtea duo Calculatores, quorum officium patet infra Capite xiiii.

Eligantur etiam duo Cuſtodes pecuniarũ, aliàs Queſtores, quorum partes declarantur infra Capite xv.

Eligantur etiam Examinatores inuentariorum duo, vt infra Capite xxi.

Ad Reuerendiſsimum Generalem, & duos Viſitatores addantur ex electione duo Patres, vt ſint quinq; Correctores, quorum omnium ſimul intereſt examinare cum iuramento ſingulos Priores, an ſciant aliquid in ſuis Conuentibus dignum animaduerſione, quod non fuerit purgatum per Viſitatores, vt infra Capite xii.

Et iis correctoribus quiſque Rector tenetur præſentare litteras Montis ſui monaſterii, quas ipſi accuratè legi, & cum anterioribus litteris conferri, atque in libro deſtinato deſcribi procurent. Si quis verò ex Rectoribus id non perfecerit, cum ex incuria, & mala adminiſtratione hoc admiſerit, iuridice cauſa cognita, veluti ineptus adminiſtrator, & publico ſtatui pernicioſus deponatur à Patribus Diatæ, & alius in locum ipſius ſubrogetur; ſimiliter ſi quis ex officialibus aliquid perpetrauerit, per quod iuridice deponi poſsit, deponatur à Patribus Diatæ, & alius ab eiſdem eligatur.

Eadem

Eadem cura procuretur, vt reuideantur inuentaria.

Quando autem ex actionibus, & occaſionibus apparet melius conſultum fore, ſi aliquis Rector, ex vno Conuentu in alium transferatur, Patres quinque patefaciant cauſam, & rationem huiuſmodi translationis Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Protectori, & deinde Pater Generalis vnà cũ Viſitatoribus exequatur, quod reſolutũ fuerit.

Per Patres Quinque aperiantur litteræ promouendorum ad ſacros ordines, & cõuocẽtur poſtea omnes Patres more ſolito, & ſuffragiis declarentur, quinam admittendi ſunt, & qui admiſſi fuerint, publicentur in ſchedulis diſtributionum.

In eadem Diæta ſupputantur rationes redituum, & expenſarum ſingulorum Conuentuum, & publicantur, & fiunt taxationes de more, vt infra Capite xx.

Decernuntur etiam ſuffragia, quæ vulgò Manſionariæ apud nos appellãtur, vt ſcilicet ſi quis ex fratribus, qui tenebatur Miſſam celebrare pro anima alicuius benefactoris, deceſſerit, alius in locum ipſius ſubrogetur.

Item aſſumuntur Confratres ad participationem ſpiritualium bonorum Congregationis.

Habiles etiam ad Canonicatum ad oſculum pacis recipiuntur.

Et demũ publicatis diſtributionibus, & perfectis perficiendis, redeunt omnes ad propria.

De

De electione ſocii Capitularis, & quando celebranda ſit huiuſmodi electio. Caput III.

ANno illo, quo celebrandum eſt Capitulum generale, in Hebdomada paſsionis præſcriptus eſt terminus electionis ſocii Capitularis incipiens à ſabbatho ante eandem Dominicam Paſsionis, vſq; ad ſequens ſabbathum ante Dominicam Palmarum. Ante enim, vel poſt prædictam hebdomadam electio fieri non poteſt, ex decreto ſanctiſsimi Patris D. N. D. Sixti Quinti ſub die xv. Iulii MDLXXXVII. In qua electione primo attendēdum eſt, quinam ſint habiles ad vocē actiuam tantum, & deinde qui ad actiuam, & paſsiuam.

Ad actiuam ſunt habiles omnes illi, qui ſunt Canonici, de quibus agitur Capite xv. Diſtinctionis ſecundæ.

Ad vocem actiuam, & paſsiuam ſunt habiles tātummodo Sacerdotes Canonici, qui in Congregatione fuerunt annis quindecim, & qui fuerunt ſaltē proximis quatuor menſibus ex Collegio, vbi celebranda eſt electio.

Priuātur voce paſsiua omnes, qui munus aliquod obierunt, & ex ſubductione rationū effecti ſunt debitores Monaſterii, neque actu ſoluerunt id, quod debent.

Priuantur etiam illegitimi, & qui ob aliquam improbitatem, vel malam adminiſtrationem ab aliquo officio, veluti inhabiles depulſi fuerunt, niſi omnibus ſuffragiis alicuius generalis Capituli denuò fuerint reſtituti.

Aa Purgato

Purgato autem numero eligentium, & eligibilium, celebretur electio per ſcrutinia ſecreta in hunc, qui ſequitur modum.

In primis eligantur duo ſcrutatores, iuxta formã traditam infra Capite octauo. Deinde in aliquo folio ſeparato ſcribantur nomina omnium eligibilium, qui ſcilicet vocem habent actiuam, & paſſiuam, ordinatè incipiendo à primo, vſque ad vltimũ. Poſtea quiſque ex illis ſigillatim ſubiiciatur ſcrutinio, & ſuffragiis ſecretis, vnus poſt aliũ, & notetur in folio ſupradicto per ſcrutatores, quot quiſq; calculos habuerit, ſiue in fauorem, ſiue in cõtrarium. Qui enim plura ex omnibus ſuffragia fauorabilia in vrna alba obtinuerit, ille erit ſocius Capitularis Canonicè electus.

In votorum autem paritate is præferendus eſt, qui in Congregatione eſt dignior.

Nemo pro ſeipſo calculum ferat, ſed vnuſquiſque extra locum Capituli ſecedat, dũ ſcrutiniũ de ſe peragitur.

De iis, qui intereſſe debent Capitulo generali, & de aliis annexis. Caput IIII.

CApitulo generali intereſſe debent infraſcripti. Rector generalis cũ duobus Viſitatoribus, & duobus ſociis Capitularibus in Conuentu ſancti Georgii in Alga electis.

Singuli Priores cum ſingulis ſociis electis, vt ſupra capite præcedenti.

Si quis

Si quis autem ex Rectoribus Conuentuum infirmitate, aut legitima cauſa impeditus, non poterit accedere, nihilominus ſocius Capitularis accedat, & Rector tempore Capituli Conuentum regat, donec nouus ſuffectus Prior, vel Vicarius, accedat ad Conuentum.

Qui eo die, quo generalia Comitia inchoantur, deſunt, licet poſtea acceſſerint, intelliguntur excluſi à dandis ſuffragiis, niſi excuſatione legitima cognita admittantur ex gratia. Si quis autē non vocatus, qui accedendi ius non habet, temerè auſus fuerit ad prædicta Comitia, vel Diætam accedere, niſi appareat ex ineuitabili cauſa acceſſum fuiſſe neceſſarium, is pro pœna tunc profiteatur ſuam culpam in Refectorio, & comedat in terra, & per annum ipſo facto careat Canonicatu: & quādo ſocium ſecum duxerit, prædicta pœna duplicetur illi à Patribus Correctoribus, & ſocius etiam puniatur, & vterque dimittatur inde ſic mulctatus.

Qui autem in cōgregationibus Capitulorum, vel generalium, vel particularium, ſiue Diætæ, voluerit dicere ſententiam ſuam, is erectus capite detecto ſtet, & cùm omni modeſtia loquatur, & ſic permaneat, donec à Rectore aliter annuatur ei. Maior tamen in quacumque Congregatione, vt Reuerendiſſimus Generalis in Capitulo generali, ſiue Diæta, & Prior in Capitulo particulari, ſedens capite tamen detecto in principio, poſtea cooperto, ſententiam ſuam dicat.

Si quis autem impudenter aliquem interruperit, aut irrequiſitus,intempeſtiuè, & abſq; conuenienti cauſa locutus fuerit, is genibus flexis in medio Aulæ profiteatur ſuam culpam,neque ſurgat,quouſq; ei annuatur:

Pari ratione vt arceantur indecora omnia,qui ex præfatis congregationibus, vel ex adunatione Patrum quinque,ſiue Diſtributorum,ſiue Correctorum, ſiue Definitorum,vel Patrum vndecim,aut nouem,non diſſoluto collegio indignabũdus exierit,per annum careat Canonicatu.

Quando aliquis in præfatis adunationibus pro deciſione alicuius cõtrouerſiæ petierit rem per ſuffragia decerni, id ei Rector concedat, niſi tamen aliquid magni ponderis in contrarium obſtare viſum fuerit ſibi, & duobus aliis antiquioribus in ea adunatione Patribus, quod etiam in omni re obſeruandum eſt, vt ſcilicet per ſuffragia ſecreta lites,& controuerſiæ dirimantur.

De contributione expenſarum Capituli generalis. Caput V.

REctor ſancti Saluatoris in Lauro, ſancti Georgii in Braida, ſancti Petri Oliueti, ſanctorum Firmi,& Ruſtici contribuãt, & ſoluant Procuratori Capituli generalis ſinguli pro portione ſua ducatos tres. Reliqui autẽ Rectores ſinguli ſoluãt ducatos duos.

Reliquum autem expenſarum ſuppleat Cõuentus ſancti Georgii in Alga.

Omnes

Omnes itidem Priores Conuentuum poſtquam peruenerint ad Monaſterium ſancti Georgii in Alga, medietatem pecuniæ, quæ ſuperfuerit ex itinere, contribuant ſinguli ſingulis ſuis ſociis, vt illi etiam poſsint habere expenſas ſui reditus. Non ſoluentibus autem Canonicatus priuatio per annum decreta eſt.

Scrutinia quomodo facienda. Caput VI.

CONuocentur omnes, quorum intereſt, tintinnabulo conſueto; quibus congregatis Prælatus ſignificet cauſam, ob quam conuocati ſunt, & quòd ob electionem celebrandam duo ſcrutatores deligendi ſunt, qui interſint ſcrutiniis.

Scrutatorum autem electio quomodo facienda ſit, habetur infra in hac Diſtinctione cap. 8.

Quibus electis, & vocatis, & introductis, genibus flexis ante Prælatum, ab ipſo declaretur, quaenam ſit functio eorum, quo peracto iuramentum deferatur eis de ſecreto ſeruando.

Deinde detur omnibus Canonicis iuramentum, quo conſtringantur, vt per ſeipſos, manu propria, calculos in pixides porrigant, neque alicui porrigendos dent.

Et ſtatim legatur Breue Apoſtolicum contra vitiantes electiones, quod eſt huiuſmodi.

[illegible] etiam iuramentum de meliori eligendo iuxta dec: Clem.

Paulus

Paulus Papa Tertius ad futuram rei memoriam.

VT electiones Dilectorum filiorum Rectoris Generalis, Viſitatorum, Priorum, ſociorum Capitularium, & aliorum officialium Congregationis ſancti Georgii in Alga Venetiarum, quas pro tempore fieri contigerit, omni qua decet ſinceritate, ac puritate celebrētur, pro paſtoralis officii debito prouidere volentes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quòd omnes, & ſinguli in electionibus huiuſmodi vocem habentes, aut in eis quomodo libet interuenientes, cuiuſcumq; ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, qui in electionibus ipſis, ſeu circa illas, vel illarum circunſtātias, tam in ſcrutiniis, & nominationibus faciendis, ſeu publicandis, quam aliàs quomodocumque, & qualitercumq; fraudem, falſitatem, dolum, vel malitiam, aut corruptelā ſcienter commiſerint, ſeu committentibus adhæſerint, vel deſuper conſenſerint, aut fraudem, malitiam, dolum, vel corruptelam huiuſmodi non reuelauerint, vltra alias cenſuras, & pœnas tam in iure, quàm per conſtitutiones, ſeu priuilegia eiuſdem Congregationis, ſeu aliàs in tales latas & promulgatas, ſeu inflictas, excommunicationis ſententiam, à qua non niſi à Romano Pontifice, præter quam in articulo mortis, abſolui poſſint, eo ipſo incurrāt. Et nihilominus ab eorum Superioribus arbitrio ſuo mulctari, & puniri poſſint, & debeant. Mandantes modernis dictæ Cō-

grega-

gregationis Priori generali, & Viſitatoribus huiuſmodi, quatenus præſentes litteras in eorum capitulis, vt ad omnium, quos concernũt, notitiam deuenire poſsint, publicẽt, ſeu publicari faciant. Non obſtãtibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis conſtitutionibus, & ordinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſuis cõceſsis, approbatis, & innouatis, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excõmunicari non poſsint per litteras non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionẽ. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die xxii. Septembris MDXLIII. Pontificatus noſtri anno nono. Blon. Ful.

Quo publicato, genibus flexis præmittant ad Deum de more Orationem, qua abſoluta, ſedentibus omnibus, Rector dicat. Eſt ne aliquis hic, qui cognoſcat aliquem adeſſe in hoc venerando Collegio, qui legitime non poſsit intereſſe celebrationi electionis faciendæ?

Quæ admonitio debet ter fieri. Qua completa, ſi euenerit, vt aliquod impedimentum alicui opponatur, diſcutiatur cauſa, & remedium opportunum adhibeatur. Deinde ſilentio impoſito, & omnibus genuflexis, Rector dicat; Auctoritate Apoſtolica, virtute priuilegiorum noſtrorum, abſoluo vos ab omni excommunicatione, interdicto, ſuſpenſione, & ab omni alia cenſura, ſi qua foret, in quantũ poſ-

ſum,

ſum, & indigetis, & omnem habilitatem vobis reſtituo ad hunc dumtaxat electionis actum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Poſtea Prælatus cum duobus ſcrutatoribus aſsiſtat ſeparatim ad menſam, & procedat ad nominationem eorum, qui ſcrutinius ſubiiciendi ſunt, hoc modò.

Ipſe primum deſcribat vnum, quem voluerit, in ſchedula, deinde conuocet alios, qui ſinguli gradatim accedant ad nominandum aliquem, & nominatum Prælatus ſimiliter deſcribat in ſchedula: finita autem deſcriptione ſingulorum, publicentur omnes illi, qui ſaltem à duobus nominati fuerunt. Ii enim, & non alii ſcrutinio ſubiiciendi ſunt.

Aduertendum tamen, quòd ſi plures officiales eligendi ſint vno ſcrutinio, quiſque Canonicus ſolummodo vnum debet nominare.

Publicatis nominationibus, vnus è ſcrutatoribus dat ſingulis Canonicis calculum vnum, qui in pixides ſinguli ſimiliter eum porrigũt. Pixides autem ſunt duplices ſimul connexæ, & coopertæ: vna coloris albi, quæ recipit calculos affirmantes, altera coloris viridis, quæ recipit negantes.

Prælatus primus, & gradatim reliqui omnes calculos in pixides iaciant, quo peracto, exeunt omnes Canonici è loco, & ſeparatim Prælatus cum ſcrutatoribus numerat calculos, & inſcribit numerum affirmantium in ſcheda, & ſic procedit, donec omnes nominati calculis ſecretis examinentur, quibus finitis inſpiciant Prælatus, & ſcrutatores,

tatores, quot calculos quiſq; obtinuit, & qui exceſſerit medietatem calculorum affirmantium, talis eſt electus.

Si autem plures excederent medietatem, qui plures calculos obtinuit, ille eſt electus.

At ſi plures excederent, & pares inuenirentur in calculis, antiquior in ſodalitio eſt electus. Sed quando nemo excedit medietatem, repetantur ſcrutinia ſecũdò, & ſi opus eſt tertiò; quòd ſi neq; in tertio ſcrutinio aliquis excederet medietatem, qui plura ſuffragia in tertio ſcrutinio obtinuit, ille eſt electus. Si autem plures ſint, qui calculos obtinent pares, antiquior in ſodalitate eſt electus.

Animaduertatur tamen, quòd quando duo tantum nominati fuerint, qui ſcrutinio ſubiiciendi ſint, neuter ex illis poteſt dare ſuffragia in ipſorum ſcrutiniis faciẽdis, quando verò tres fuerint nominati aut plures, nemo ex ipſis repellitur à dandis ſuffragiis: nemo tamen prõ ſeipſo ſuffragium dare poteſt.

Attendendum præterea, quòd ſi quis in aliqua electione imprudenter, aut ex incuria, aut alio modo errauerit in dando ſuffragio, talis poteſt emendare errorem ſtatim petendo iterationem ſcrutinii ante publicationem, non autem poſt publicatam electionem.

Nõ prætereundum etiam eſt, quòd præſcriptum eſt Superioribus ſub pœna priuationis per annum à Canonicatu, vt ſemper in nominationibus, & ſcrutiniis ipſi primi nominent, & dent ſuffragium.

De Præfecto ſcrutinii pro electione Reuerendiſsimi Generalis. Caput VII.

IN Capitulo generali pro electione Reuerendiſſimi Generalis eligitur vnus Sacerdos Canonicus, qui Præfectus ſcrutinii appellatur, cuius munus eſt vnà cum duobus ſcrutatoribus aſsiſtere electioni prædictæ, notare nominationes, & ſcrutari calculos.

Is autem habere debet domiciliũ in vna ex tribus Diœceſibus, ſcilicet vel Venetiarum, vel Patauii, vel Vincentiæ, & non poteſt eſſe habilis ad dignitates, & officia, quæ oriuntur ex electionibus eiuſdem Capituli, & tenetur iurare de ſecreto ſeruando.

De ſcrutatoribus pro electionibus faciendis. Caput VIII.

IN electionibus celebrandis ſemper aſſumuntur duo ſcrutatores, qui in electione Reuerendiſsimi Generalis vnà cum Præfecto ſcrutinii, in aliis verò electionibus vnà cum Superiore, ſcrutantur Calculos, & aſsiſtunt electionibus faciendis.

Ii autem cooptantur ex more de familia Conuentus, vbi celebranda eſt electio, ſiue ſint Sacerdotes, ſiue Clerici, ſiue Conuerſi, dum tamen non ſint Canonici ex numero eligentium.

Modus

Modus autem eligendi Scrutatores, hic eſt, deſcribantur nomina eorum, qui apti ſunt ad hoc munus ſubeundum, & ſingula ſeparatim ponantur in aliquo vaſe, deinde vnum ex illis ſorte extrahatur, & per ſuffragia ſecreta inſpiciatur an is, qui extractus eſt, approbetur ab omnibus, vel ſaltem à maiore parte Capituli. Et ſi quidem ita approbatus fuerit, is erit vnus è Scrutatoribus electus, ſin verò maiorem calculorum partem non habuerit in fauorem, deſcribatur in aliqua ſcheda numerus calculorum fauorabilium cum ipſius nomine, deinde alius ſorte extrahatur ex vaſe, & procedatur eodem modo, & ſucceſſiuè, ſi opus ſit, alius, & alius extrahatur, quouſque duo ex extractis, à maiori parte approbentur, duo enim primi, qui fuerint à maiore parte Capituli per ſecreta ſuffragia approbati, cenſentur electi Scrutatores; quòd ſi contigerit, vt vnus tantum, aut nullus à maiori eligentium parte, approbetur, is, aut ii, qui habuerint plura vota in fauorem, cenſebuntur electi Scrutatores. In votorum autem paritate, qui dignior eſt ratione ordinis, aut ſaltem ratione ætatis in Congregatione tranſacta, præferendus erit.

De Notario Capituli, vel Diætæ. Caput IX.

ALiquis Pater Capituli, vel Diætæ eligitur in Notarium, qui ſit vir probus, & inſtructus latino idiomate, & accuratus in ſcribendo. Ei autem incūbit fideliter inſcribere omnes actus Capitulares, eoſq;

omnes in calce ſubſcriptione propria comprobare, & ei ſigillum datur cuſtodiendum, donec electus erit nouus Rector generalis.

Item ad ipſum pertinet conficere omnia mandata, ſcribere litteras, & abſentibus denunciare dignitates, ad quas electi ſunt.

Tenetur etiam à Diurnis Conuentuum tranſcribere in libro deſtinato, veſtimenta cærulea eo anno confecta: & deficiens in huiuſmodi tranſcriptione priuatur per annum Canonicatu.

De Procuratore Capituli. Caput X.

PRocurator Capituli generalis tenetur quotidie prouidere omnia victui neceſſaria tàm Patribus Capitularibus, quam reliquis familiæ Conuentus ſancti Georgii in Alga, & ei à Patribus nummi, ab ipſis delati iuxta ſupputationem poſitam ſupra Capite quinto in hac Diſtinctione, pro expenſis tribuuntur.

Bina fercula ſingulis cõmenſalibus ſemper præparabit, donec Rector generalis electus ſit, quo electo, nihil eo inſcio pertractabit; durat autem eius officium, donec Capitulũ dimittatur; & huic muneri Procurator dicti Conuentus ſancti Georgii habilis eſt.

De

De Nomothetico, vulgò ſocio ſuper Conſtitutiones. Caput XI.

EX ipſo Nomothetici nomine, quod legum ferendarum peritum ſignificat, Patres poterunt contemplari, cuius probitatis, & eruditionis oporteat eſſe, qui ad hanc functionem eligendus eſt. Eius autẽ munus eſt, certum præfigere tempus Patribus Capitularibus ad producẽdum Monita, Ordinationes, Conſtitutiones, tam generales, quam particulares, ſi quas volunt, eaſque ſibi traditas examinare cum Præſidente, an ſint rationabiles, Reique publicæ proficuæ.

Et quas ambo iudicauerint opportunas, Patribus xi. diſcutiẽdas ipſe tradet, quæ ſi fuerint ab ipſis probatæ, præfigantur ad Portam Archiuii per diem, vt poſsint conſiderari ab omnibus.

Deinde proponantur toti Capitulo, vt ſcrutinio, vel probentur, vel reiiciãtur; quæ autem probatæ fuerint per maiorem partem Capituli, cuſtodiantur vſq; ad ſequens Capitulum generale, non enim ſufficit, vt in vno generali Capitulo comprobentur, ſed neceſſe eſt, vt etiã à ſequenti Capitulo generali per ſcrutinium confirmentur, vt vim perpetuæ legis obtineãt. & Patrum Viſitatorum partes erũt, in Archiuio eas cuſtodire, & opportuno tempore proponere, donec perfectionem ſuam conſequantur.

Non eſt prætereundum, quòd quando Conſtitutiones

ſcruti-

ſcrutiniis dantur, quæq; Conſtitutio ſigillatim danda eſt. Et quando diſcrimen aliquod oriretur inter Nomotheticum, & Præſidentem, ſuper aliqua Conſtitutione, Patres quinque Correctores, tunc litem dirimant, quodq; ipſi decreuerint, ratum ſit.

Ad Nomotheticum pertinet etiam, recipere litteras ad Capitulum generale miſſas, & eas in præſentia eorum, ad quos directa ſunt, aperire, & legere.

Notandum etiam, quòd in abroganda aliqua Conſtitutione non ſufficit maior pars calculorum; ſed oportet, vt ſuperent duas partes ex tribus.

De quinque Correctoribus. Caput XII.

VOcantur Correctores Præſidẽs Capituli, qui abdicauit ſe proximè dignitate Generalatus, duo Viſitatores, & alii duo, qui ex ſcrutinio eis adduntur.

Quibus primum Congregatis incumbit cum iuramento examinare ſingulos Patres Capitulares, & in primis ab illis, qui fuerunt Rectores, inquirunt, an aliquid dignũ animaduerſione ſciant eſſe perpetratum à ſuis Confratribus, quod non fuerit denunciatum, & punitum; & deinde à ſociis Capitularibus inueſtigant, an nouerint ſuos Priores, aut contubernales commiſiſſe aliquod erratũ, propter quod digni ſint caſtigatione, & non fuerint puniti, & præſertim an ſciant aliquod ſcandalum commiſſum poſt vlti

mas

mas viſitationes, quod puniri conuenit, & nõ ſit punitum. In hac autem examinatione, Patres præfati non recipiãt denunciationes, ſed tantummodo querelas, denunciationes enim à Viſitatoribus tantum dari ſolent.

Tenentur etiam Patres præfati Correctores ſub pœna priuationis à Canonicatu per annum, procurare, vt inuentaria, & litteræ Montium tutò cuſtodiantur.

De ſex Patribus, qui adduntur quinque Correctoribus. Caput XIII.

QVando occurrit aliquod negotium, quod arduũ videtur, & difficilè ad explicandum, & ad debitum finem perducendum, exactoq; conſilio opus eſt ad deliberandum, tunc quinque Patres Correctores conuocent alios ſex Patres, & omnes ſimul adunati rẽ maximi ponderis extricent. Hi autem vndecim Patres in quibuſdam rebus parem cum Capitulo generali obtinẽt authoritatem, & eorum magiſtratus non excedit concluſionem generalis Capituli.

De Calculatoribus Capituli generalis, vel Diætæ. Caput XIIII.

AD Calculatores Capituli, vel Diætæ, pertinet Monaſteriorum omnium Diurnales libros accipere, & ſigillatim in vnoquoque annuũ prouentum, & expenſam inſpicere; & notare in folio ſeparato,

to, an ex reditibus ſuperſit aliquid, vel deficiat, & conſequenter an æs alienum contractum ſit, reducẽdo monetas vniuſcuiuſque Conuentus ad computum ducatorum Venetorum: quo peracto, circa ſingulos diurnales libros, deſcribantur in vna pagina ampli, & patẽtis folii omnes omnium Cõuentuum reditus, & expenſæ, & in calce in vnã ſummam reducantur, vt in ictu oculi inſpici poſſit totius Congregationis, vel debitum, vel creditum, & opportuno tempore rationes ita in ſummam redactæ publicentur toti Capitulo, vel Diætæ, vt ex illis Patres poſtea iuxta æſtimationem Conuentuum, diuidant taxationes ſoluendas. Tenentur etiam Calculatores rationes vniuſcuiuſq; Conuentus ex Diurnalibus libris acceptas, & in compendium redactas tranſcribere in libro ad hoc deſtinato, qui vulgò dicitur del Bilanzone; iiſque abſolutis, reddere Diurnales libros Prioribus Conuentuum, vnicuique ſuum, qui eos ad propria Monaſteria deferant, & in Archiuio reponant, vt tempore viſitationum ab eiſdem Calculatoribus generalibus rationes prouentuum, & expenſarum magis particulariter inſpici, & concludi poſſint: quibus peractis, in idem Archiuium Diurnales reſtituantur, & cum cæteris ſcripturis Conuentus aſſeruentur.

De

De Quæſtoribus, ſeu Depoſitariis Capituli generalis. Caput X V.

QVæſtorum, ſeu Depoſitariorum munus eſt inſpicere librum Montium, qui in Archiuio Monaſterii ſancti Georgii in Alga cuſtoditur, & recipere à ſingulis officialibus, quæ ab ipſis deferuntur tàm in pecunia numerata, quàm in litteris ſubſcriptis à Deputatis ſingulorum Conuentuum, & inſpicere an Mons ſit auctus iuxta modum conſuetum illius Conuentus. qua in re ſi officiales defecerint, vt ſcilicet deferãt ſummã Montis, vel imminutã, vel non auctã iuxta morẽ, Ipſi Depoſitarii Correctores adeant, & eos de hac re certiores faciant.

Tenentur etiam Depoſitarii cuſtodire pecunias montium, & omni ſolertia procurare vt nũmi, qui ab officialibus deferũtur tàm pondere, quàm alia qualitate ſint probi, & idonei, alioquin eos non recipiant, receptos autem in libro ſcribant, & quando nouis officialibus reſtituunt, procurẽt, vt dicti officiales in eodem libro receptionis mentionem faciant, & manu propria ſcribant.

De cuſtodia nummorum, & rerũ Montis, & animaduerſione infligẽda iis, qui in eis deficiũt. Cap. XVI.

IN vnoquoque Conuentu capſa munita in Archiuio ſeruetur pro cuſtodiendis nummis Montis. Mons autem appellatur ſumma quædam pecuniarũ, &

rerum vnicuiq; Conuentui neceſſariarum, vt putà frumenti, vini, olei, leguminum, ceræ, & ſimilium, quã ſummam quilibet Prior recipit in principio ſui officii, & notã habet ex litteris Montis à generali Capitulo ſibi traditis, & quotannis renouatam reſtituit.

In calce autem cuiuſuis anni, quo reddendæ ſunt pecuniæ, & reliquæ res Montis, Prior, & Procurator tradãt eas Patribus Deputatis, & pecuniæ diligenter numeratæ ponantur ſtatim in prælibata capſa; quæ claudatur tribus diſtinctis clauibus, quarum vnam Prior ad Capitulũ ſeu Diætam ferat, alteram Vicarius, & tertiam antiquior Deputatus cuſtodiat. Reliquæ autem res cuſtodiantur in locis ſuis ſolitis ſub tutela Deputatorum.

Priores autem de depoſito pecuniarum, & rerũ Montis ſic facto non ferentes fidem publicam ſubſcriptione Deputatorum, & publico ſigillo munitam, ad Capitulum ſeu Diætam, excludantur à dandis ſuffragiis: & præterea tã ipſi, quam Deputati, qui ex incuria, vel alia ipſorum culpa defecerunt à confectione litterarum Montium, & reſtitutione rerum, & nummorum prædictorum, biennio careant Canonicatu.

Item pœna remotionis à dandis ſuffragiis decreta eſt cõtra eos Priores, & Procuratores, qui aſsignatam taxationum portionem non ſoluunt, & pariter contra eos, qui augmentum pro ſoluendis annatis iuxta præſcriptum nõ deponunt, qui omnes biennio etiam Canonicatu mulctantur,

tur, & conſtringuntur reddere rationē nō ſolutionis factæ.

Sed quando Monaſterium aliquod ob ineuitabilem ſu peruenientem occaſionem non poteſt ſoluere opportuno tempore, Patres Conuentus illius Reuerendiſsimo Patri Generali, & Viſitatoribus, cum viſitāt, impoſſibilitatem ſuā liquidò oſtendant, & ſimul omnes conficiant ſcripturam excuſationem legitimam ſuæ impotentiæ continentem, Capitulo generali, vel Diætæ præſentandam; ſic enim effugiēt pœnas ſupradictas.

De augmento Montis, & nummis deferendis ad Capitulum generale, vel ad Diætam ex vnoquoque Conuentu. Caput XVII.

Conuentus ſancti Georgii in Alga auget ſingulis annis ducatos quinquaginta, & defert ducatos ducentos.

Conuentus ſancti Saluatoris in Lauro auget ducatos quinquaginta, & defert ducatos ducentos.

Conuētus ſanctæ Mariæ ab Horto auget ducatos quinquaginta, & defert ducatos vigintiquinque.

Cōuentus ſanctæ Mariæ in Vantio auget ducatos quadraginta, & defert ducatos centum.

Conuentus ſancti Georgii in Braida auget ducatos quinquaginta, & defert ducatos centum.

Conuentus ſancti Petri Oliueti auget ducatos quadraginta, & defert ducatos centum.

Conuentus ſancti Rocchi auget ducatos vigintiquinq;, & defert ducatos quadraginta.

Conuentus ſancti Gregorii auget ducatos triginta, & defert centum, & quinquaginta.

Conuentus ſancti Auguſtini auget ducatos decem, & defert triginta.

Conuentus ſanctorum Firmi, & Ruſtici auget ducatos quadraginta, & defert ſexaginta.

Conuentus ſancti Iacobi auget ducatos triginta, & defert quinquaginta.

Conuẽtus ſancti Iuliani auget ducatos triginta, & defert centum & quinquaginta.

Conuentus ſancti Angeli auget ducatos vigintiquinq;, & defert quadraginta.

De ſolutione quindenniorum. Caput XVIII.

QVemadmodũ ſancta ſedes Apoſtolica benignã matrem erga ſodalitatem noſtram ſemper ſe exhibuit, ita nos vt obſequentes filii ſimus indefeſſa pietate, manibus, pedibuſq; debemus conari, vt referamus gratiam.

Vnuſquiſq; ergo noſtrum tàm in priuatis, quam in publicis orationibus, pro incolumitate, & amplitudine ipſius ſanctæ Sedis, preces ad Deum effundat.

Et quod in rebus exterioribus ei impẽdimus veluti annuale ſubſidiũ, quod vulgò dicitur quarta pars fructuũ,

qua-

quacumq; cunctatione remota ſuo tempore quiſq; ſoluat. Et vt quindennia in promptu ſint, & miniſtri ſancti Saluatoris de Lauro, ad quos acceſſus publici Exactores in Vrbe habent, abſq; difficultate ſolutionem tempeſtiuè facere poſſint, in priſtinum reuocamus, quod olim à maioribus decretum, & multis annis obſeruatũ (licet poſtea intermiſſum) fuerat.

Vt ſcilicet in Conuentu ſancti Georgii in Alga in ipſo Archiuio cõſeruetur capſa bene munita, in quam annuatim mittatur contingens pars annatæ cuiuſuis Conuentus ſoluentis; in qua etiam proprium marſupium vniuſcuiuſque Conuentus ſit pro pecunia conſeruanda, & proprius libellus, in quo inſcriptum ſit onus, tum quindennii totius, tum portionis ſingulorum annorum: & licet ſolutiones fiãt in nummis aureis, reduci tamen debent ad rationem monetæ Venetæ, vt magis proportionatè, & rectè fieri poſſit diſtributio ſolutionum, adueniente termino quindecim annorum completorum.

Quando autem pro ſolutione facienda aufertur pecunia à ſupradicta capſa, teneatur illã recipiens manu propria fidem facere de receptione à ſe facta, & de ſumma pecuniarum receptarum.

Opportunum eſt etiam, vt in eadem capſa conſeruetur extenſa, & patens tabella, in qua inſcripta ſint loca ſoluentia, & portiones pecuniarum, quæ à ſingulis locis quotannis debentur, vt Patres quando conueniunt ad Capitulũ,

vel

vel Diætam, videant an ſoluere debeant, & quantum.

Pro ſecuritate autem dictarum pecuniarum, ſit obſerata Arca quatuor clauibus, vnã quarum habeat Reuerendiſsimus Generalis, alteram primus Viſitator, tertiã Prior ſanctæ Mariæ ab Horto, & quartam Rector ſanctæ Mariæ in Vantio. Quibus omnino interdictum eſt ſub pœna priuationis Canonicatus per biennium, ne inde remoueant tale depoſitum, niſi ob ſolam cauſam, ob quam ibi aſſeruatur.

Sub hac tamen lege cuſtodiendi quindennia, non arctatur Conuentus ſancti Saluatoris de Lauro, ſed eius miniſtri ſtudere debent, vt opportuno tempore ſolutionem facere poſsint.

De locis, quæ ſoluunt quindennia. Caput XIX.

VNiones Congregationis ſancti Georgii in Alga ſolutioni quindenniorum obnoxiæ, ſunt hæ.

Monaſterium ſancti Iuliani Arimini taxatum florenis ſeptuaginta nouem.

Aſsiſinatenſe Monaſterium ſancti Benedicti florenis auri quinquaginta.

Præpoſitura ſancti Benedicti de Capiano Aprutinenſis Diœceſis centum ducatis de Camera.

Prioratus ſanctæ Mariæ in Vantio Paduæ ducatis ducentis de Camera.

Peruſii

Peruſii Monaſterium ſancti Pauli florenis auri centum de Camera.

Parochialis Eccleſia Beatæ Mariæ Montis gẽtilis Sabinenſis Diœceſis ducatis quadraginta auri de Camera.

Prioratus ſancti Michaelis de Mirano Taruiſienſis Diœceſis ducatis trecentis de Camera.

Parochialis Eccleſia ſanctæ Catherinæ Leonici ducatis quadraginta auri de Camera.

Præpoſitura ſancti Ioannis Baptiſtæ de Bonadico Veronenſis Diœceſis ducatis auri de Camera centum, & viginti.

Venetiis Præpoſitura ſanctæ Mariæ ab Horto ducatis centum de Camera.

Monaſterium ſancti Antonii in Parignano Aſculi ducatis centum auri de Camera.

Præpoſitura ſancti Ioannis Baptiſtæ Baldariæ ducatis ducentis.

Parochialis Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ de Sablono quinquagintaquinque ducatis de Camera.

Quomodo, & quibus de cauſis taxationes imponantur. Caput XX.

IN ipſa prima erectione ſodalitatis noſtræ inſtitutum fuit, vt præbendæ, & reditus ſint communes, nõ diſtincti; Pari item moderatione, & charitate bona totius Congregationis, vt bona communia ab omnibus

vel Diætam, videant an ſoluere debeant, & quantum.

Pro ſecuritate autem dictarum pecuniarum, ſit obſerata Arca quatuor clauibus, vnā quarum habeat Reuerendiſſimus Generalis, alteram primus Viſitator, tertiā Prior ſanctæ Mariæ ab Horto, & quartam Rector ſanctæ Mariæ in Vantio. Quibus omnino interdictum eſt ſub pœna priuationis Canonicatus per biennium, ne inde remoueant tale depoſitum, niſi ob ſolam cauſam, ob quam ibi aſſeruatur.

Sub hac tamen lege cuſtodiendi quindennia, non arctatur Conuentus ſancti Saluatoris de Lauro, ſed eius miniſtri ſtudere debent, vt opportuno tempore ſolutionem facere poſsint.

De locis, quæ ſoluunt quindennia. Caput XIX.

VNiones Congregationis ſancti Georgii in Alga ſolutioni quindenniorum obnoxiæ, ſunt hæ.

Monaſterium ſancti Iuliani Arimini taxatum florenis ſeptuaginta nouem.

Aſsiſinatenſe Monaſterium ſancti Benedicti florenis auri quinquaginta.

Præpoſitura ſancti Benedicti de Capiano Aprutinenſis Diœceſis centum ducatis de Camera.

Prioratus ſanctæ Mariæ in Vantio Paduæ ducatis ducentis de Camera.

Peruſii

Peruſii Monaſterium ſancti Pauli florenis auri centum de Camera.

Parochialis Eccleſia Beatæ Mariæ Montis gẽtilis Sabinenſis Diœceſis ducatis quadraginta auri de Camera.

Prioratus ſancti Michaelis de Mirano Taruiſienſis Diœceſis ducatis trecentis de Camera.

Parochialis Eccleſia ſanctæ Catherinæ Leonici ducatis quadraginta auri de Camera.

Præpoſitura ſancti Ioannis Baptiſtæ de Bonadico Veronenſis Diœceſis ducatis auri de Camera centum, & viginti.

Venetiis Præpoſitura ſanctæ Mariæ ab Horto ducatis centum de Camera.

Monaſterium ſancti Antonii in Parignano Aſculi ducatis centum auri de Camera.

Præpoſitura ſancti Ioannis Baptiſtæ Baldariæ ducatis ducentis.

Parochialis Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ de Sablono quinquagintaquinque ducatis de Camera.

Quomodo, & quibus de cauſis taxationes imponantur. Caput XX.

IN ipſa prima erectione ſodalitatis noſtræ inſtitutum fuit, vt præbendæ, & reditus ſint communes, nõ diſtincti; Pari item moderatione, & charitate bona totius Congregationis, vt bona communia ab omnibus

omnibus ſunt tractanda, de quibus ad menſam Domini rationem reddere oportebit, & habētes ex eis moderatum victum, & veſtitum iis contenti eſſe debemus.

Quando ergo pro nutrienda familia deſunt alicui Conuentui, quæ neceſſaria ſunt ad victum, & veſtitū, ab aliis Conuentibus, ex publicis taxationibus, promptè, & hilariter ſubueniendum eſt.

Nemini particularium, quacumque exceptione remota, concedendæ ſunt taxationes, ſed tantummodo Conuentibus pro cauſis publicis.

Taxationes autem in hunc modum decernendæ ſunt.

Publicatis opportunè ratiociniis à Calculatoribus Capituli vel Diætæ, vt dictum eſt, ſupra Capite xiiii. huius Diſtinctionis, exponatur coram Patribus xi. & illis qui fuerunt Priores, ſi hoc fiat in Capitulo, vel coram Prioribus ſi in Diæta, totum æs alienum deſumptū tam ex diurnalibus libris nouiter latis, quam ex diurnalibus, qui in viſitationibus reuiſi, & concluſi fuerunt à Calculatoribus generalibus, & totum illud æs alienum diuidatur iuxta æſtimationem infraſcriptam inter Monaſteria ſoluētia, quæ ſunt hæc;

Sancti Georgii in Alga, & ſanctorum Firmi, & Ruſtici, & ſancti Iacobi, ſingula Monaſteria ſoluunt ſub pondere librarum trium.

Sancti Saluatoris in Lauro, & ſancti Georgii in Braida, Monaſteria ſingula ſoluūt ſub pondere librarum ſeptē.

Et

Et ſancti Petri Oliueti Monaſterium ſoluit ſub põdere librarum trium, & dimidiæ.

Sanctæ Mariæ in Vantio Monaſterium, ſub pondere libræ vnius & dimidiæ.

Sancti Gregorii, & ſancti Iuliani, Monaſteria ſingula ſoluunt ſub pondere librarum duarum.

Si cui tamen hæc Monaſteriorum taxatio iniuſta videbitur, ad Capitulum generale pertinebit omnia inſpicere, & veriorem æſtimationem Monaſteriorum declarare, & conſtituere, quid ſingula Monaſteria plus ne, an minus, an etiam nihil, iuxta eorum abundantiam, vel indigentiam ſoluere debeant.

Poſtquam autem à Patribus præfatis decretæ, & iuridice diſcretæ taxationes, vnicuique Cõuentui iuxta ſupradictam æſtimationem aſsignatæ fuerint, portiones ſingulas pecuniarum ex taxationibus colligendarum deſcribant Calculatores Capituli, vel Diætæ in libro publico ad hoc deſtinato, ita vt omnes articuli ſint diſtincti, quibus, & ob quam cauſam dictæ portiones debeantur.

Inſuper vnuſquiſq; Conuentus, qui cõtraxit æs alienũ, propter quod taxationes cæteris Conuentibus imponendæ ſunt, teneatur mittere ad Capitulum ſiue Diætam in ſcheda ſubſcripta à Deputatis, & ſigillo publico munita, æs alienum, quod cõtraxit, & diſtinctè in ea ponere cui, & ob quam cauſam aliquid debeatur. Et Reuerendiſsimi Patris Generalis partes erunt in Viſitationibus exigere taxatio-

tiones, à ſingulis Cõuentibus, & ſoluere ſummas pecuniarum, quibus debentur, & de ſolutionibus factis, ſibi cauere, recipiẽdo à ſingulis creditoribus ſyngraphas de pecuniis ſibi ſolutis, ſimiliq́; cautela ſibi conſulant miniſtri Conuentuum, quando præfato Reuerendiſsimo portionem taxationum ſibi contingentem ſoluunt.

Oẽs ſyngraphæ prædictæ tutò conſeruentur, adeo vt pateat liquidò ſemper, quo pacto diſpẽſentur ſodalitatis bona.

De duobus examinatoribus Inuentariorum. Caput XXI.

EXaminatores Inuentariorum poſſunt eligi, etiam ſi non ſint è Collegio Capituli, vel Diætæ, quibus incumbit inſpicere articulatim omnia omniũ Conuentuum inuentaria, nouiter ad Capitulũ, ſiue Diætam lata, eaq́; conferre cum exemplaribus anterioribus, & quando in nouis deeſt aliquid, annotent in ſchedula, & viſis omnibus, denuncient in ſcriptis Patribus Correctoribus, quicquid deeſt.

Correctorum autem partes ſunt, inquirere à miniſtris Conuentuum, vnde oriatur defectus, qui niſi reddiderint cauſam probabilem amiſsionis, iuxta culpam, & iacturæ damnum puniantur.

Examinatores autẽ ſupradicti Inuẽtaria nouiter lata, poſtquã à ſe viſa fuerint, ſubſcriptione propria notẽt, vt diſcernantur poſtea ab aliis Inuentariis, quæ de nouo fient.

De

De habilibus ad dignitates. Caput XXII.

Dignitates Congregationis noſtræ ſe extendunt de triennio in triennium, ad quas eligi debent Sacerdotes idonei, cum ætate, & doctrina, tum probitate vitæ.

Excluduntur autem ab eis generaliter omnes illegitimi, & qui inhabiles facti ſunt per ſacros Canones, & Conſtitutiones ſummorum Pontificum, & præſertim per Bullam ſanctiſsimi D. N. Sixti Papæ V. de Regularibus, & omnes, qui ob malam adminiſtrationem ab officiis depulſi fuerunt.

Vt autem habilis quis reddatur ad ſupremam dignitatē Generalatus, præterquam quod debet carere omnibus præfatis defectibus, oportet etiam, vt iam perfunctus ſit dignitate Prioris, & quod attingat in Cōgregatione annum vigeſimumquintum, ex quo ſcilicet religionē ingreſſus eſt, & ꝙ à prædicta dignitate annos ſaltē quatuor vacauerit.

Et quando eueniret in primo, & ſecundo triennii anno ſubſtitui aliquem in Generalē ob mortem, vel ob aliā cauſam, tunc in Capitulo ſequenti non poterit confirmari ſubſtitutus ille; at ſi in tertio triennii anno ſuffectus ſit, bene tunc poterit cōfirmari per Capitulū ad ſubſequēs trienniū.

Ad Prioratus honorem ſunt inhabiles, ne dum irretiti aliqua infamia, aut depoſitione, aut illegitimitate, ſeu alio Canonico impedimento, ſed etiam qui annum decimum

octauum in Congregatione non attigerunt.

At quando eueniret, vt aliquis in ſodalitatem maturus ætate reciperetur, poſt annum ſcilicet vigeſimum quintum ſuæ ætatis, qui virtutibus ornatus, & meritis fultus, probitate ſua videatur honorem dignitati poſſe addere, hunc circa tempus annorum decem & octo à Capitulo generali diſpenſari poſſe permittimus.

Quando contigerit per ceſſum, vel deceſſum vacare alicuius Monaſterii Prioratum abſoluto Capitulo generali, oporteatq; aliquem ibi ſubrogari, ſi primo anno triennii talis ſubrogatio facta ſit, ſuffectus ille poſtea non poterit confirmari in Comitiis ſubſequentibus, neque eligi in alium Prioratum, niſi ad illos duos, ad quos & alii reliqui ſunt habiles.

Si verò in ſecundo anno aliquem ſubſtitui contigerit, poterit ille eligi Prior (ſi videbitur) alibi.

At quando in anno tertio triennii electus eſt, ibidē etiā poterit confirmari (ſi Capitulo placuerit) ad ſubſequens triennium.

In Conuentibus tamen ſancti Saluatoris de Lauro, & ſanctæ Mariæ ab Horto poſſunt eligi, & aſſumi ex illis, qui fuerunt toto triennio proximè elapſo Priores, dummodo in neutro præfatorum Conuentuum Priores fuerint.

Verum neceſſitate alicuius loci inſtante, ac requirente, vt eligatur aliquis in Priorem, qui fuerit toto triennio Rector, ſi videatur id Capitulo expedire, cōcurrentibus duabus

bus ex tribus ſuffragiorum partibus in fauorem, permittimus, dummodo non confirmetur, vbi immediatè functus eſt dignitate.

A Viſitatoratus honore excludantur tum irretiti aliquo Canonico impedimento, tum etiam qui nondũ Prioratus dignitate, quã in Comitiis adepti fuerint, per triennium perfuncti ſint, & qui vigeſimum ſecundum annum in Congregatione non attigerunt.

Itẽ excluditur ille, qui toto triennio proximè elapſo fuit Viſitator, ſecus autem ſi vltimo tantum anno fuerit in tali gradu.

Sciendum eſt etiam, quòd quando in Capitulo generali euenerit, aliquem electum in Priorem alicuius Eccleſiæ poſt publicationem huiuſmodi electionis dignitatem non acceptare, ipſum, facta repudiatione, & à Patribus probata, reddi in illo Capitulo inhabilem ad quamcumque Prælaturam, ſiue Prioratus, ſiue Viſitatoratus, in locũq; ipſius ſubrogari poteſt aliquis etiam ex iis, qui electi fuerunt ad alios Prioratus.

Similiter quando infra annũ contingit, aliquem Prioratum vacare, vel per ceſſum, vel per deceſſum, ad illum deligi poterit aliquis etiam ex iis, qui Prioratus munere funguntur.

Prouidendum eſt tamen in iis caſibus, vt poſtquã aliquis in dignitate conſtitutus aſſenſus fuerit electioni de ſe factæ, alius poſtea eligatur, qui in ipſius locũ ſubrogetur.

Ad-

Aduertendum eſt autem, quòd quæ dicta ſunt tùm in hoc capite de Reuerendiſsimo Generali, de Prioribus, & de Viſitatoribus, tùm ſuper Cap. 3. huius Diſtinctionis de ſocio capitulari, tũ Diſt. 3. Cap. 9. de Vicario, & Cap. 13. de Procuratore, & Cap. 18. de Fratribus Villicis, quod ſcilicet hi omnes debeant permanſiſſe in Congregatione per certum annorum ſpatiũ ad hoc, vt eligi poſsint in officiales, intelligenda ſunt de iure ordinario, & regulariter, non tamen ita ſtrictè, & præcisè, quin ex vrgenti aliqua cauſa, & præſertim, ſi numerus eligendorum ex requiſito temporis ſpatio habilium paruus omnino eſſet, diſpenſari poſsit ab Illuſtriſsimo Protectore, ſi id expedire viſum fuerit ſibi, & Capitulo generali, ſeu Collegio Deputatorum, ad quos de iure ſpectat electio.

De electione facienda, quando Prioratus, vel Viſitatoratus vacat extra tempus Capituli generalis per ceſſum, vel deceſſum. Cap. XXIII.

SI contigerit per ceſſum, vel deceſſum vacare aliquem Prioratum noſtrorum Conuentuũ, Rector generalis quanto citius poterit, antequam elabatur tempus trium menſium, ad Eccleſiam vacantem accedat, vel ſi ipſe non poterit, deleget alium, qui accedat, & vices eius ſuppleat, & conuocato Capitulo illius Cõuentus eligat Priorem, in qua electione vocem habet ipſe etiam Rector Generalis, vel eius delegatus.

In

In ſubrogando autem Viſitatore, conuocetur Capitulũ ſancti Georgii in Alga, & reliqui Patres ex Nouem, qui ſimul omnes eligant Viſitatorem.

Sed ſi contigerit Rectorem generalem decedere, vel ſeſe abdicare magiſtratu, per Patres Viſitatores, indicto die electionis faciendæ, congregentur omnes Priores cum ſociis Canonicè electis ad Cõuentum ſancti Georgii in Alga, qui ſtatuto tempore conuenientes ſucceſſorem generalem eligant.

Illudq́; in primis aduertant, vt electio huiuſmodi intra tres menſes à die mortis, vel renunciationis factæ perficiatur, nec vllo modo vltra prædictum terminum differatur, ne viduata Eccleſia aliquod diſpendium patiatur.

Viſitatores autem in hac ſubrogatione negligentes puniantur à Patribus Correctoribus.

De Iudicibus competentibus, & quomodo alius ſit ſubrogandus, quando aliquis legitimè recuſatur. Caput XXIIII.

NOn ab re iudicauimus hic admonere fratres Cõgregationis noſtræ, ne putent propter controuerſiam in Congregatione ortam, ſiue inter contubernales alicuius familiæ, ſiue inter aliquos diuerſorũ Conuentuum, ſiue inter Monaſterium, & Monaſterium, ſe poſſe exire ad aliquem Iudicem exterum.

Nam præterquam quod confunderentur hoc modo limites

mites iuriſdictionum, & pernitioſum ac deteſtabile ſcandalum tribueretur, exeuntes anathemate innodantur; Ipſiq; Iudices extranei audentes ſe intromittere in controuerſiis inter confratres ortis, eadem cenſura feriuntur, iuxta priuilegiũ Innocẽtii Octaui noſtræ Cõgregationi cõceſſum.

Si igitur contigerit, vt aliqua lis inter nos oriatur (quod Deus auertat) litigantes adeant ſuum ordinarium Iudicem, vel ſcilicet Rectorem proprium, vel Reuerendiſsimũ Generalem, qui ei rei congruum imponat ſilentium.

Qui autem relictis Iudicibus competentibus, aliter attentare auſi fuerint, præter maiorem excommunicationẽ, qua conſtringũtur, vt dictum eſt, pœnis etiam grauiſsimæ culpæ ſubiacebunt. Quam ſubeunt etiam illi, qui aliquod Breue contra bonũ vniuerſitatis impetrare auſi fuerint.

Quando autem ab aliquo recuſaretur iudicium Reuerendiſsimi Patris Generalis, Viſitatores debent omni ſtudio examinare cauſas ſuſpicionis, & quando cauſæ non ſunt legitimæ, eas admittere non debent.

At ſi legitima videatur cauſa ſuſpicionis, & recuſationis, tunc duo Viſitatores ex ſua conſcientia, non autem ad petitionem Rei, aliquem noſtræ ſodalitatis Prælatum conuocent, qui non ſit tamen è Collegio quinque Definitorum, & ei ſuffecto ad iudicium in locum Reuerendiſsimi Generalis deferant iuramẽtum tactis ſacris litteris, quòd in iudicando Deum, & iuſtitiam præ oculis habebit.

Similiter quando allegatur ſuſpectus aliquis Viſitatorum,

rum, Reuerendiſsimus Generalis ſui collegæ tueatur cauſam, & indebitas cauillationes Reorum refellat.

Quãdo tamen cognoſcitur rationabilis cauſa ſuſpicionis, tunc aſſumatur à Reuerendiſsimo Generali aliquis Pater in eius locum, & ſubrogato detur iuramentum, vt iam dictum eſt.

Ita etiam obſeruandum erit inter Patres quinq; Definitores, vt ſemper ex rationabili cauſa, ſi recuſetur aliquis in iudicem, ſubrogetur alius, qui eligatur à collegis, & ei detur iuramentum de ſeruanda iuſtitia.

Simili modo quando contigerit, aliquẽ ex iudicibus eſſe cõſanguineũ Rei, aut ipſius Patrem ſpiritualem, qui ſcilicet habitum religionis ei tradiderit, cum interdictum ſit iudici, ſeſe intromittere in cauſis conſanguineorum, aut filiorum huiuſmodi ſpiritualium, vt ſtatutum eſt ſupra in Capite primo Diſtinctionis quartæ, prouidendum eſt de alio iudice, qui in locum iudicis ſuſpecti ſubrogetur.

De appellationibus, & Patribus quinque Definitoribus. Caput XXV.

EVenit quandoque, vt aliqui licet iure correpti, grauamina tamen ſimulent, & appellationes clament.

Quando igitur aliquis legitimè conuictus fuerit; vel ex teſtibus, vel ex propria confeſsione, aut ex notorietate delicti, nõ debet executio ſententiæ retardari ob appellationes,

quæ cum ſunt friuolæ, non debent admitti.

Si quando tamen legitima cauſa appellandi exiſtat, & appareat, appellationes hoc ordine fieri poterunt.

A Priore ad Reuerendiſsimum Generalem, à Reuerendiſsimo Generali ad quinque Definitores, & à quinq; Definitoribus ad Patres Vndecim, dum tamen non niſi ſemel; & iterum alicui appellare liceat.

Verum appellantes hic admonendi ſunt ſecundum iuris communis diſpoſitionem, licet ad remediũ appellationis conuolauerint, non ideo minus iuxta tenorem Conſtitutionum noſtrarum corrigi, & caſtigari poſſunt, ſed humiliter ac deuotè ſuſcipere debent, quod pro ſalute ſua fuerit ſibi à Superioribus iniunctum. Grauamen etenim ſententiæ latæ per interpoſitam appellationem non ſuſpenditur, ſed durat, quouſq; à iudicibus appellationũ de medio tollatur.

Ad ſubleuamen, & cognitionem iuſtarum appellationum, eliguntur ex ſuffragiis Capituli generalis quinq; Patres, qui quinque Definitores vocantur. Qui ſemper ex dignioribus, & venerabilioribus aſſumi debent, & præcipuè ex illis, qui iam olim fuerint Generales, aut Viſitatores, non tamen proximè, & immediatè. Quibus electis, Præſidens Capituli vnicuiq; eorum iuramentum præſtet, tactis ſacris litteris, vt in executione ſui muneris, Deum, & bonum Congregationis præ oculis habeant.

Qui, quando opus eſt, acceptis proceſsibus à Patribus Viſitatoribus, examinabunt cauſas, & appellationes interpo-

terpoſitas, & iudicabunt iuxta Canonicas, tùm iuris Pontificii, tum noſtræ Congregationis ſanctiones; & tenentur ſub ſigillo ſecreti cuſtodire acta proceſſuum, ne ſcilicet reuelent teſtes, aut querelantes, vel denunciantes, aut alias perſonas, quæ ſuſtinere poſſent ob id, vel odium, vel maleuolentiam, vel aliud iniuriæ genus, & reuelantes incidunt in pœnam priuationis Canonicatus per biennium.

Expeditis autem cauſis per ſentētiam, reſtituant proceſſus, & ſcripta omnia, vt aſſeruentur in loco deputato.

Horum quinque Definitorum magiſtratus durat de triennio in triennium, & poſſunt confirmari in omnibus Comitiis.

Et vt ſuperuacanei labores, & cauillationes abſcindantur, Reis prohibitum eſt producere, & Iudicibus recipere Iuriſperitorum conſultationes, aut informationes.

Cum autem aliquis ex fratribus accedere voluerit ad Reuerendiſſimum Generalem, vt conqueri poſsit de ſuo Priore, ſcribat prius litteras de hoc ad ipſum Generalem, quo permittente, proficiſcatur: ſed ſi poſtea repertus fuerit ipſe culpabilis, & indebitè conqueri de Priore, pro pœnitentia comedat ſemel in terra, & per ſex menſes ſit priuatus tabarro, omnibuſque ſextis feriis eiuſdem temporis ieiunet in pane, & aqua.

De cuſtodia proceſſuum, & ſententiarum. Caput XXVI.

PRoceſſus, ſententiæ, & acta omnia, tam à Reuerendiſſimo Generali, quàm à quinque Definitoribus in cauſis criminalibus facta, ſeu viſa, conſeruẽtur in capſa bene munita, poſita in Archiuio ſancti Georgii in Alga, & ad hoc ſolum deſtinata, tribus diſtinctis clauibus obſerata, vnam quarum habeat Rector Generalis, & quiſque Viſitator vnam; neque aliquis eam aperiat, niſi hi tres, ſimul congregati, & quãdo neceſſe fuerit, & non aliter.

Quomodo procedendum ſit in facienda, vel neganda gratia condemnatis. Caput XXVII.

SI ſupplicatio pro abſolutione, vel diminutione pœnæ alicuius iam condemnati coram Patribus Vndecim oblata fuerit, ſemper præ oculis habeant Patres, quod oſtendit diuinus ſermo, ſcilicet, Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potẽtis, & ponas ſcandalum in agilitate tua. Et non ſolum conſiderent qualitatem meritorum Rei ſupplicis, & quo fine moueantur ei fauentes, ſed accuratè examinent, quomodo, & qua de cauſa fuerit Reus damnatus, & liquidò inſpiciant, an poſſit iuſtè, & in bonum totius Reipublicæ fieri, quod petitur.

tur. Facilitas enim veniæ, malorum incitamentum eſt.

Quare conſideratis conſiderandis circa ea, quæ ſunt in conſultatione ponenda, quod iure fieri nõ poteſt, & bono publico nocet, reiiciant, & quod proficit communitati, proſequantur.

Et quando iudicatur, poſſe remitti, aut diminui pœnã alicui, denuò legatur proceſſus coram dictis Patribus, & ſuffragiis ſecretis declaret an gratiam, vel repulſam Reũ conſequi velint: & qui ab ipſis declaratus fuerit dignus gratia, opportunè toti Capitulo proponatur, qui ſi in vna alba duas è tribus partibus Calculorum obtinuerit, palã viſis, & numeratis calculis, cenſebitur gratiã obtinuiſſe.

Non prætereundum eſt, quòd quando pro pluribus Reis ſupplicatur, nõ debent omnes ſimul calculis offerri; ſed oportet, vt ſigillatim quiſque per ſe adducatur in ſcrutinium. Et niſi hoc fiat, niſique denuò legatur proceſſus, vt ſuprà dictum eſt, gratia obtenta nulla eſſe decernitur.

De Patribus Sex, qui cum Viſitatoribus coniuncti, appellantur Nouem infra annum. Caput XXVIII.

CVius probitatis, & virtutis eſſe debeant Sex Patres, qui vnà cum Reuerendiſsimo Generali, & Viſitatoribus, vocantur Patres Nouem, vel Nouem Definitores, ex hoc colligitur, quòd in rebus intra annum occurrentibus, in quibus Reuerendiſsimus

Gene-

Generalis cognoſcit ſe egere conſilio, vel auxilio, ipſos conuocat.

Eorum autem partes principales ſunt, accurata diligentia tueri noſtræ Reipublicæ ſtatum, vt tenētur Patres xi. Comitiorum tempore, vt patet Capite xiii. huius Diſtinctionis.

Qui etiam adiuncti Collegio ſancti Georgii in Alga eligunt intra annum Viſitatorem, vel Definitorem, cum contigerit aliquem ex ipſis vacare per ceſſum, vel deceſſum.

De Patribus quinque Diſtributoribus, & eorum officio. Caput XXIX.

Rationabiliter à Maioribus noſtris inſtitutū eſt, vt inter Diſtributores in primis numerarētur illi, qui proximè geſſerunt magiſtratum Generalatus, & Viſitatoratus, veluti ii, qui experimento viſitationū poſſunt cognoſcere, quid quiſq; locus poſtulet, quidve recuſet. Iis adiūgitur nouus Generalis, qui omnium caput eſt, quintum verò neceſſe eſt eligi, & ſi contingat alterutrū ex Viſitatoribus in Generalem aſſumi, tunc neceſſe erit alterum etiam in eius locum ſubrogari.

Omnium horum munus eſt, vnicuique Conuentui familiam aſsignare, & ita congruenter, ac prauia charitate fratres Congregationis diſtribuere, vt ſingula loca, Sacerdotibus, Clericis, Cōuerſis, & neceſſariis fratribus abūdēt:

Magiſtros nouitiorum idoneos, cōfeſſarioſq; laicorum

ſteriũ Eccleſiarũ Ordinariis præſentandos ſeligãt. uando cognoſcunt aliquem alicubi nõ eſſe aptum; nt tum animabus, tum opportunitatibus locorum. uando euenit, vt præfati Patres obliuiſcantur ali- atris, quem nulli familiarum aſsignent, decerni- rater ille ſit illius Cõuentus, in quo reperitur, quan cantur diſtributiones, qui debet ibi ali, & perma- veſtiri, ac ſi ibi deſcriptus fuiſſet.

lutis, & publicatis diſtributionibus, intra annum gulariter dimoueatur à Conuentu aſsignato abſq; i neceſsitate, & aſſenſu Reuerẽdiſsimi Patris Ge- & Viſitatorum.

m autem viſitat Reuerendiſsimus Generalis cum Viſitatoribus, iuxta opportunitatem perſonarum, & rationabilium occaſionum, poteſt transferre fratres ex vno in aliud Monaſterium.

Prædicti inſuper Patres Viſitatores cum Deputatis ſancti Georgii in Alga, poſſunt & debẽt prouidere, & ſubuenire rebus occurrentibus, quando neceſsitas cogit, circa diſtributionem familiarum, quemadmodum prouideret, & ſubueniret ipſum Capitulum generale, vel Diata, ſi re ipſa exiſteret.

De

De Confratribus admiſsis ad participationem ſpiritualium bonorum. Caput XXX.

CVm omnes, qui inuicem charitate connectuntur, ex mutuis operibus emolumentum reportent: Cumq; ex multiplicatione interceſſorum, propitiationis abundantiam elargiri Dominum, certum ſit: Hinc Patres noſtri ad participationem ſpiritualium bonorum libenter vtriuſque ſexus perſonas admittunt.

Qui in Comitiis generalibus, vel Diata, conſiderata bona exiſtimatione ſupplicantium, nomina eorum, coram omnibus recitata, ſcrutinio offerũt, in quo qui obtinuerint duas è tribus calculorum partes, ad participationem bonorum ſpiritualium electi intelligũtur; & in libro ad hoc deſtinato à Notario inſcribuntur.

Ii autem admiſsi quotidie quinquies Pater noſter, & Aue Maria, pro ſalute animarum omnium confratrum recitare debent.

Et quando ex hac vita decedunt, habita notitia mortis ipſorum, in vnoquoque Collegio oretur pro eorum animabus, & cantetur vna Miſſa pro defunctis.

De

De Præludio Capituli Generalis, ſiue Diætæ. Caput XXXI.

VT in celebrãdis Comitiis ordine procedatur, & Patres noſtri omnem confuſionem euitent, nec vagentur huc atq; illuc, abſumentes tempus, hoſpitibuſq; oneri exiſtentes, ſtatuitur, vt qui ſe conferunt ad Capitulum generale, vel Diætam, iuxta congruentiam diſtantiæ locorum iter arripiant, & ita tempus diſpartiant, vt commodè, & opportunè poſſint peruenire ad Conuentũ ſancti Georgii in Alga ad diem quartum decimum poſt feſtum Paſcha reſurrectionis, ideſt ad diem Sabbathi poſt Dominicam in Albis.

Neque quiſquam ante, niſi vocatus à Superioribus, illuc accedat.

Pridie autem eius diei, quo celebranda ſunt Comitia, ideſt Dominica ſecunda poſt Paſcha, Reuerendiſſimus Generalis cum Viſitatoribus conuocet omnes Rectores ad ſe, à quibus inquirat litteras Montium, & inſpiciat, an cõtineantur in eis, quæ contineri debent ex officio.

Et quos inuenerit deficientes iuxta ſtatuta puniat, & arceat à dandis ſuffragiis. Litteræ verò in Archiuio cuſtodiantur tempeſtiuè dandæ poſtea Patribus Repoſitariis, de quibus ſupra dictum eſt Capite xv.

De Capitulo generali. Caput XXXII.

CVm humanæ imbecillitatis conatus nihil boni ſine omnipotẽtis Dei auxilio efficere poſsit, à quo omne datũ optimum, & omne donum perfectũ deſcendit, adueniente Comitiorum die, totus cœtus Patrũ Capitularium diluculò ad templum ſe conferat, vbi decẽti pietate Miſſa de Spiritu ſancto cantetur. Et quiſque Sacerdos confeſsionis ſacramento ritè purificatus ſacra perſoluat, in quibus humiliter diuinum numen implorabit, vt velle, & perficere ipſorum omnium dirigatur ad peragenda ea, quæ gloriam diuinitatis ſuæ concernunt.

Quibus perfectis, ad pulſationem tintinnabuli in Aulã conſuetam omnes conueniant: Et ſilentio impoſito, breui concione Reuerendiſsimus Generalis, quæ ad rem faciũt, omnibus perſuadere ſtudebit, ſcilicet proprii particulariſque commodi negligentiam, & contemptum; ſodalitatis verò commune bonum ad gloriam omnipotentis Dei.

Quo peracto, præmittat ea, quæ ſpectant ad celebrationem electionum, vt patet Cap. vi. huius Diſtinct. videlicet inquiſitionem an quis velit aliquid alicui opponere, & abſolutionem, & piam orationem ad Deum: Quibus abſolutis, eligatur Notarius Capituli, cuius partes ſunt deſcriptæ Cap. ix. ac deinde ſigillatim omnes à Rectore generali inchoãtes, dignitates renunciẽt Capitulo generali hoc modo.

In medio Aulæ genibus flexis dicat Reuerendiſsimus Gene-

Generalis. Ego N. Prior generalis Congregationis ſancti Georgii in Alga dignitatẽ Generalatus, & Prioratus Conuentus prælibati cum omnibus annexis depono, & huic venerando Collegio conſigno.

Cui omnes aſſurgentes reſpondeant; Acceptamus.

Qui tamen abdicatus ſupremo magiſtratu ſub nomine præſidentis primum tenet locum, donec nouus Generalis ſuffectus ſit.

Statim igitur vt reſederit Præſidens, ſinguli gradatim accedant ad deponendas, cõſignandaſq; dignitates, vt mos eſt, quibus ſingulis reſpondetur, vt ſupra, Acceptamus. qua depoſitione, ſeu conſignatione facta, omnes Rectores non ſolũ præſentes, ſed etiã abſentes intelliguntur exuti dignitate.

Deinde his completis, eligantur duo Scrutatores, cum quibus, & cum Patribus Capitularibus, agantur accuratè omnia, quæ ſupra ſcripta ſunt Capite vi. huius Diſtin.

Poſtea deueniatur ad electionem officialium Capituli, reliquorum.

Eligatur Procurator Capituli, cuius officium deſcribitur Capite x. huius Diſtinctionis.

Eligatur Nomotheticus, cuius munus deſcribitur Capite xi. huius Diſtinctionis.

Eligantur quinque Definitores appellationum, quorũ partes deſcribuntur Capite xxv. huius Diſtinctionis.

Eligantur duo ad ſupplementum Correctorum, quorũ partes oſtenduntur Capite xii. huius Diſtinctionis.

Eligantur Patres ſex, qui cum quinque Correctoribus ſupradictis appellantur Patres xi. de quibus dicitur Capite xiii. huius Diſtinctionis.

Eligãtur duo Calculatores Capituli; quorum officium cognoſcitur ex Capite xiiii. huius Diſtinctionis.

Eligantur duo Quæſtores, ſeu Depoſitarii, quorum munus declaratur Capite xv. huius Diſtinctionis.

Eligantur duo Examinatores, quorum exponitur officium Capite xxi. huius Diſtinctionis.

Eligatur Præfectus ſcrutinii pro electione Reuerendiſſimi Generalis, cuius partes explanantur Capite vii. huius Diſtinctionis.

De quibuſdam actibus Capitularibus. Caput XXXIII.

VNuſquiſque prædictorum officialiũ det operam, vt loco, & tempore partes ſuas agat.

Patres quinque Correctores ſuã nauent operam in examinando, vt patet ſupra Capite xii. huius Diſtinctionis.

Nouæ Conſtitutiones examinentur, vt patet Capite xi. huius Diſtinctionis, & ſuffragiis totius Capituli concludantur.

Scrutiniis decernantur habiles ad promotiones ordinũ hoc modo. Aperiuntur litteræ à Patribus quinque Correctoribus præſentatæ à Patribus Viſitatoribus, in Conuentibus

tibus olim obſignatæ, vt dicitur Capite xiiii. ſecundæ Diſtinctionis: & illi, qui medietatem calculorum obtinuiſſe in Conuentibus deſcripti fuerunt, totius poſtea Capituli, vel Diætæ ſcrutiniis offeruntur, & in Archiuio à quinq; Correctoribus calculi ſecreto numerantur, & qui obtinuerint medietatem calculorum habiles ad promotionem ſacræ Ordinationis intelliguntur.

Primo Diaconi ſcrutiniis de more offeruntur, qui ad Sacerdotium promouendi ſunt.

Secũdo Subdiaconi, qui ad Diaconatũ ſunt promouẽdi.

Tertio Acolyti, qui ad Subdiaconatum.

Quando iudicabitur expedire, publicentur ratiocinia totius Congregationis, & diſtribuantur taxationes, vt dictum eſt Capite xx. huius Diſtinctionis.

Publicentur Conſtitutiones nouæ, ſi quæ fuerint probatæ à Comitiis.

Publicentur poſtremò, qui aliqua pœnitentia in Capitulo, ſiue in Diæta, ſiue à Viſitatoribus, ſiue à Definitoribus appellationum innodati fuerunt.

De electione Reuerendiſsimi Patris Generalis. Caput XXXIIII.

QVemadmodũ in cõſtruenda Domo, præcipua eſt architecti cura, vt tale iaciat fundamentum, ſuper quo firmum perduret ædificium, ita non minori ſtudio in perficiendis Eccleſiaſticis Prælatis ſedulam

Eligantur Patres ſex, qui cum quinque Correctoribus ſupradictis appellantur Patres xi. de quibus dicitur Capite xiii. huius Diſtinctionis.

Eligãtur duo Calculatores Capituli, quorum officium cognoſcitur ex Capite xiiii. huius Diſtinctionis.

Eligantur duo Quæſtores, ſeu Depoſitarii, quorum munus declaratur Capite xv. huius Diſtinctionis.

Eligantur duo Examinatores, quorum exponitur officium Capite xxi. huius Diſtinctionis.

Eligatur Præfectus ſcrutinii pro electione Reuerendiſſimi Generalis, cuius partes explanantur Capite vii. huius Diſtinctionis.

De quibuſdam actibus Capitularibus. Caput XXXIII.

VNuſquiſque prædictorum officialiũ det operam, vt loco, & tempore partes ſuas agat.

Patres quinque Correctores ſuã nauent operam in examinando, vt patet ſupra Capite xii. huius Diſtinctionis.

Nouæ Conſtitutiones examinentur, vt patet Capite xi. huius Diſtinctionis, & ſuffragiis totius Capituli concludantur.

Scrutiniis decernantur habiles ad promotiones ordinũ hoc modo. Aperiuntur litteræ à Patribus quinque Correctoribus præſentatæ à Patribus Viſitatoribus, in Conuentibus

tibus olim obſignatæ, vt dicitur Capite xiiii. ſecundæ Diſtinctionis: & illi, qui medietatem calculorum obtinuiſſe in Conuentibus deſcripti fuerunt, totius poſtea Capituli, vel Diætæ ſcrutiniis offeruntur, & in Archiuio à quinq; Correctoribus calculi ſecreto numerantur, & qui obtinuerint medietatem calculorum habiles ad promotionem ſacræ Ordinationis intelliguntur.

Primo Diaconi ſcrutiniis de more offeruntur, qui ad Sacerdotium promouendi ſunt.

Secũdo Subdiaconi, qui ad Diaconatũ ſunt promouẽdi.

Tertio Acolyti, qui ad Subdiaconatum.

Quando iudicabitur expedire, publicentur ratiocinia totius Congregationis, & diſtribuantur taxationes, vt dictum eſt Capite xx. huius Diſtinctionis.

Publicentur Conſtitutiones nouæ, ſi quæ fuerint probatæ à Comitiis.

Publicentur poſtremò, qui aliqua pœnitentia in Capitulo, ſiue in Diæta, ſiue à Viſitatoribus, ſiue à Definitoribus appellationum innodati fuerunt.

De electione Reuerendiſsimi Patris Generalis. Caput XXXIIII.

Qvemadmodũ in cõſtruenda Domo, præcipua eſt architecti cura, vt tale iaciat fundamentum, ſuper quo firmum perduret ædificium, ita non minori ſtudio in perficiendis Eccleſiaſticis Prælatis ſedulam

lam operam nauare debent electores, vt talem præponant toti Cõgregationi, qui tamquàm columna, & baſis, ipſam Doctrinæ, & meritorum virtute, firmiter ſuſtentet: Scientes, quòd ſi vel doloſe, vel negligenter, ac timore Domini poſtpoſito, in re tam graui ſe geſſerint, ſicut auctores erunt, & cauſa mali paſtoris, ita participes ſient pœnarum, quas ipſe in diſtricto Dei iudicio patietur.

Peractis igitur in Capitulo omnibus, quæ de more ante electionem Generalis Rectoris peragẽda ſunt, Præſidẽs pridie eius diei, quo celebranda eſt electio, quando in ſero benedicit fratres, indicet futuram electionem, & ex ponderatione negotii, inflammabit omnes ad piam orationem effundendam, pro electione idonei Rectoris generalis, & reliquorum Prælatorum: & luceſcẽte poſtera die omnes tam electores, quàm contubernales, præuia ſacramentali cõfeſſione mundati, humiliter pro eadem cauſa ad ſacra peragenda accedant, & abſoluta maiori Miſſa de Spiritu ſancto, & reliquis diuinis, pulſetur tintinnabulum, quo ſigno omnes Electores, cũ Præfecto ſcrutinii, & ſcrutatoribus conueniant ad Aulam Capitularem, quibus omnibus ingreſsis, indicto ſilentio pulſationi, ante imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti genuflectant, humiles denuò ad Deum preces porrigant, vt eorum actiones, & voluntates ab ipſo illuminatæ in re tanti ponderis dirigantur ad obſequium diuinæ Maieſtatis.

Et ſubſequẽter inchoetur ĩ cãtu Gregoriano à duobus.

Veni

Veni creator Spiritus: inceptumq́; proſequātur omnes hymnum, & duo ſcrutatores cum calculis, vrnis, & reliquis neceſſariis ad electionem pracedant, & reliqui gradatim bini, & bini ſequātur. Præfectus ſcrutinii, & Præſidēs Capituli vltimo loco ſint: eoque modo cantantes poſtquam peruenerint in Eccleſiam ſinguli genuflectant ante ſacratiſſimum Sacramentum Corporis Domini, & diuidantur in duos Choros, & finito hymno, Præſidens indutus ſuperpelliceo, & ſtola, dicat de more. Pater noſter. Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Verſ. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. Reſp. Et renouabis faciem terræ. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum; qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiuſdē Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Quo abſoluto Præfectus ſcrutinii cum ſcrutatoribus ſeorſum ab aliis accedat ad menſam ante Altare maius poſitam, ad quos gradatim procedant Electores ad nominationes faciendas, & peragenda reliqua, quæ ſpectant ad perfectionē electionis, vt patet Capite vi. huius Diſtinct.

Qua electione ex diligenti inſpectione calculorum cognita, perfecta, & abſoluta, mox eam Præfectus ſecretò denunciabit Præſidenti, qui accommodata concione eam publicabit; & deducet electum in medium, vbi genuflexum Præfectus, Scrutatores, & Præſidens eum recipiant ad oſculum pacis, quod gradatim fiat ab omnibus electoribus, & poſtea inde ordinatim, vt venerunt, ad locum, qui Capitulum appellatur, dirigant iter.

Vbi poſtquam nouus Generalis ſederit in digniori loco, Præſidens erectus pronũciabit nouum electum debere recipi, & cognoſci. & ei debitam venerationem exhiberi, nõ ſolum vt Generali totius Congregationis, ſed etiã vt Priori illius Eccleſiæ particularis ſancti Georgii in Alga; quẽ genuflexum poſtea recipiant ad oſculum pacis, vt factum fuit in Eccleſia, omnes non ſolum Electores, ſed etiam omnes contubernales Conuentus præfati ſancti Georgii.

Hoc autem abſoluto, incipiatur in cantu. Te Deum laudamus. quem hymnum proſequentes omnes reuertantur ordinatim in Eccleſiam, ante Altare Maius, vbi poſtquam fuerit finitus hymnus, genuflectentibus omnibus, Præſidens indutus ſuperpelliceo, & ſtola, ſtans dicat, vt mos eſt. Pater noſter.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos à malo. Verſ. Saluum fac ſeruum tuum. Reſp. Deus meus ſperantem in te. Verſ. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Reſp. A facie inimici. Verſ. Nihil proficiat inimi-

cus

cus in eo. Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. Et clamor meus ad te veniat. Verſ. Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

